

PRIMA SYNODUS DIOECESANA

NEOCASTREN

CELEBRATA DIE VIII. MENSIS DECEMBRIS
MDCCCLVIII

IN ECCLESIA CATHEDRALI EIUSDEM CIVITATIS

PRÆSIDENTE

Illustriss.° ac Rev.° Domino
FR. HYACINTHO MARIA BARBERI


ORDINIS PRÆDICATORUM SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO,
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO NEOCASTRENSI
COMITE ROCCÆ FALLUCÆ, BARONE SANCTI SYDERI,
AC FEUDI SANCTI MARCI.

PONTIFICATUS SUI ANNO V.



NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA DANTIS
MDCCCLIX.

Canite tuba in Sion..., vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera (Ioel. II. 15. 16.).



LITTERA ENCYCLICA

DE INTIMATIONE ET CONVOCATIONE SYNODI.

FR. HYACINTHUS MARIA BARBERI

Ordinis Praedicatorum, Sacrae Theologiae Magister, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Neocastren, Comes Roccae Fallucae, Baro Sancti Syderi, ac Feudi Sancti Marci.

SYNODUM DIOECESANAM, quam diu in mente habuimus, tamque opportunam ad moderandos mores, corripiendos excessus, disciplinam Ecclesiasticam firmandam, ut S. Concilium Tridentinum edicit, Deo iuvante, in hac Nostra S.ª Cathedrali Ecclesia, die octava mensis Decembris huius anni Sacra

Festivitati Immaculatae Virginis Mariae habendam, Praesentibus Litteris indicimus et convocamus. Ideoque in Domino monemus, ac sub poenis a Sacris Canonibus inflictis, aliisque Arbitrio Nostro infligendis, iubemus omnes et singulas Dignitates, Canonicos tam de numero, quam extra, Capellanos Chorales huius Cathedralis, Canonicos Collegiatarum Martiranen ac Sciliani-Diani, omnesque Archipresbyteros, Parochos, Rectores Animarum, quocumque nomine vocentur, Vicarios Foraneos, Cantores et alios, qui, sive de iure, vel de consuetudine Synodo Dioecesanae adesse debent, pridie praefati diei, in hanc Civitatem sese conferre, ut sequenti die, hora decimaquinta, una Nobiscum, in Sancta Cathedrali Ecclesia convenientes, procedamus ad opus tam grave, tam praeclarum, tamque sanctum opitulante Spiritus Sancti gratia perficiendum.

Et quoniam quam maxime Divino Auxilio indigemus, ut bene omnia ad Dei gloriam in isto sancto Conventu procedant; a die publicationis Praesentium, qualibet Feria V. in hac Cathedrali, Missa votiva de Spiritu Sancto celebretur, et in aliis Ecclesiis apponatur in Missis collecta de Spiritu Sancto. Etiam populi fideles exhortentur, ut piis eorum precibus a Domino Nostro uberem fructum a S. Synodo celebranda cuncti consequantur.

Ut autem omnes, qui ut supra vocati, instructiores veniant, breviter haec monita damus.

In primis: Omnes in veste talari et decenti clericali Tonsura accedant; et tempore quo in hac Civitate moram fecerint, specimen sacerdotalis gravitatis praeseferant; cauponas et tabernas omnino evitent, nec per plateas vagentur, quasi ad nundinas, emendi et vendendi caussa venerint; sed in ospitiis a Praefecto deputandis, sument cibum et pernoctabunt.

Secundo: In celebratione Synodi Admodum Rev. Dignitates et Canonici utantur solitis eorum insignibus; Rev. Parochi superpelliceo mundo, et stola rubri coloris.

Demum: Praescribimus ut si quis de convocatis, legitimo detentus impedimento personaliter accedere nequeat; impedimentum ipsum Nobis in scriptis patefaciat, quo a Nobismet probato, per Procuratorem, proprium munus adimplebit.

Exemplar huius Indictionis ad valvas maiores huius Cathedralis, et Ecclesiarum Parochialium affigatur, ita ut omnes afficiat ac si singulis fuerit notificata.

Datum VIII. Idus Novembris MDCCCLVIII.

Fr. Hyacinthus M.ª Episcopus Neocastren.

ORATIO

Habita ab Admodum Rev. Domino Carolo M.ª Talarico huius Nostrae Cathedralis Ecclesiae Poenitentiario, in Sacra Theologia Licentiato.

Nescio quo fato, Excellentissime Praesul, haec nostra Dioecesis antehac omnino caruerit suis Synodalibus constitutionibus, quae animos recta doctrina imbuerent, errores pellerent, dissolutos mores compescerent, excessus, abusus omnisque generis corruptelas radicitus evellerent, gregemque omnem ad meliorem frugem revocarent. Haud me tamen praeterit huius nostri splendidissimi capitularis coetus maiorum natu auctoritas asserentium sub Antistite Carolo Pellegrini, felicis recordationis, sacra comitia indicta riteque primum celebrata fuisse; sed eorum statuta, si qua fuerint, praeterquam quod his temporibus non exstant, ubinam documenta inveniri poterunt, ex quibus ullum habuisse vigorem pateat? Quapropter sine ulla contentione pro infectis habenda sunt, ut non immerito dioecesanae Synodi deficientiam Divi Bernardi verbis ita conqueri possimus: *Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio, et innumera Dominici gregis detrimenta nescimus; de pretio escarum, et de numero panum cum ministris quotidiana discussio est, rara admodum cum presbyteris cele-*

bratur collatio de peccatis populorum. Ecquis autem potest esse tam aversus a vero, tam praeceps, tam mente captus, qui eius sive virtutem, sive utilitatem neget, aut tantisper in dubium revocet? Quid enim sunt sacra Concilia, nisi *salus Ecclesiae, terror hostium eius, et Fidei catholicae stabilimentum*, ut Coloniensis Synodi a Patribus confirmatum fuit? An vero *Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*, difficillimis et miserrimis temporibus, tot undique cincta periculis potuit unquam sibi viam aperire salutis, nisi nutu mente et ope Conciliorum? Omnia, omnia bona consecuta repcrimus per Concilia. — Per Concilia haereses debellatae ; Per Concilia dogmata fidei enodata, proposita, definita; Per Concilia disciplina Ecclesiae moresque clericorum non semel, sed centies atque centies in maximum splendorem restituti ; Per Concilia sponsa ipsa Redemptoris ex tot tantisque persecutionum tempestatibus, quae iam inde ab incunabulis eam penitus absorbere minabantur, non solum incolumis, sed ita fortis evasit, ut in omnem orbem terrarum longe lateque proferret imperium, et instar propheticae arboris hinc ad coelum pertingeret. Sed cur dixi pertingeret? Transcenderet potius dicere debebam, ex Chrysostomi dicto, qui hac de re, licet alia occasione, prodiebat posteris haec memoranda verba: *Jactatur Navis, at non mergitur... a quam multis oppugnata*

est Ecclesia, nec unquam tamen victa. Quot Tyramni, quot Duces, quot Imperatores.... tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non deiecerunt. Quin potius ii qui oppugnarunt silentur oblivioni traditi, illa vero oppugnata coelum transcendit. Tanta divina virtus inest Conciliis! Et nos dubitamus adhuc, VENERABILES PATRES, summis extollere laudibus hunc nostrum Ducem et Pastorem, qui omnipotentiam Conciliorum mente retinens, et corde volutans, nunc primum eam adgreditur uti in sua dioecesi regenda atque administranda? Dicite mihi, quaeso, et fucatae adulationis absint praestigia, dicite: ex tot illustrissimis antecessoribus suis cuinam melius quam ei cordi fuerunt illa monita Pauli: *Attendite vobis, et universo gregi in quo posuit vos Spiritus Sanctus episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo?* Vobis non latet a prima die qua huius episcopatus gubernacula arripuit quo studio pro grege sibi commisso flagrarit, quot itinera in Dioecesi peragranda susceperit, quot labores apostolicos pro salute animarum pertulerit, quas curas pro iuventute recte instituenda impenderit, quantamque diligentiam adhibuerit, quot et quanta pietatis opera fecerit, quot et quanta quam primum est facturus. Ego sigillatim ea numerare non audeo; namque certe scio Se mihi vehementer irasci, quippe non Suae, sed divinae gloriae cupidum. Nihilominus cum coe-

tera omnia taceam, nullo pacto id silentio transeundum puto quod hic vester frequens consessus in gloriam ipsius summi Dei patefieri deposcit. Dicam ergo in veritatis honorem: Quanam de caussa huc nos convenire iussit! Videlicet ut, nobis consulentibus, quod universae Dioecesi bonum, faustum, felixque sit, id sapienter decernat atque constituat; ut, nobis consulentibus, videat ne quid detrimenti cultus divinus patiatur; ut, nobis consulentibus, ecclesiasticam disciplinam erigat lapsam, consolidet nutantem, augeat florentem: aliis verbis, ut ipse et nos Ezechielis Prophetae voce divina admoniti, *quod periit requiramus; quod abiectum reducamus; quod confractum est alligemus; et quod pingue, et forte est custodiamus.* Nunc quid hoc proposito dulcius? quid gloriosius? quid utilius? quid praestantius? quid maius? Et tamen, quis crederet! hic audio, aut saltem audire videor quos sinistra natura ad res carpendas meliores in lucem extulit. Hi nimirum dictitant: Ubi sunt tempora poscentia huiusmodi clericorum conventus? Ubi sunt haereses extirpandae? Ubi hostes in officium redigendi? Videte ineptas, frivolas, nugatorias, ridiculas obiectationes! Quasi vero ob ista, et non alia habendae sint Synodi! Verumtamen detur eorum canoris nugis paullisper locus, ut cuius sint ponderis in trutina veritatis videamus. Si ad tempus spectemus, nihil profecto est quod illud nimium laudent, multo-

que minus prisco praeponent. Proh Deus immortalis! Quale est praesens tempus? Tale nempe, quale nos ex ipsomet ore tuo, VIGILANTISSIME PRAESUL, illo sermone audivimus, quem sacra unctione plenum paucis adhinc annis perlustraturus Dioecesim hoc Sacro Templo habuisti. Tunc heu mihi memoranti lacrymae oculis erumpunt! Tunc, nimia pectus charitate inflammatus tonabas apostolica voce tandem venisse *tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. En tam celebratum tempus! Utrum autem tali tempore nosmetipsos, et Christi fideles magis magisque in Fide firmare conveniat, ut non *simus parvuli fluctuantes*, loquar enim verba Apostoli, *et ne circumferamur omni vento doctrinae,* vobis indicare relinquo, VENERABILES PATRES; Vobis inquam, cum quibus neque ingenio, neque prudentia, neque doctrina sum comparandus; Vobis, qui melius quam non ego habetis plena pectora Scripturarum. Et quid super hoc praescribunt nobis divinae Scripturae? Illud ipsum, quod EXIMIUS ANTISTES NOSTER praefato sermone, utpote sibi, et nobis praescriptum, non semel, sed iterum atque iterum iisdem apostolicis verbis sic insinuabat: *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.* Numquid est aliud

habere hanc Synodum, nisi partem dicti muneris adimplere? Quis vestrum ignorat Dioecesanam Synodum esse quasi speculam, ex qua singulis Dioecesis partibus circumspectis atque exploratis,omnibus earum indigentiis providere possimus,et ne quis error agro Dominico subrepat, vel tamquam anguis in herba lateat consulere valeamus? Falluntur igitur, multumque falluntur qui huic nostro congressui caussa obtrectandi vociferant: ubi sunt tempora poscentia huiusmodi clericorum conventus? Quod si ad alia obiecta diluenda progrediamur, o quantum eminet obtrectatorum caecitas, o quantum elucet! Dicunt hi: ubi sunt haereses extirpandae? At nos contra: Utinam non essent, nec unquam in posterum sint tam nefariae pestes; Utinam earum etiam nomina deleantur de mundi annalibus, ubi nigris coloribus scripta manent; Utinam earum etiam pereat memoria, ut nusquam nominentur amplius. Sed me laevum! Quid dixi? Inania sunt mea vota, quoniam etiam nunc quamplurimae sunt haereses, et illis peiores quae puros quondam Christianae Reipublicae infecere fontes. Reipsa, si maxima haeresis Divinum Numen est negare, quid interest utrum dictis, an negetur factis? Dico melius; nonne magis offendunt Divinitatem qui, dum summis Eam confitentur labiis, intimis praecordiis penitus expellunt, et super eius contemptum, ex sententia *Augustini*, erigunt solium turpissimis idolis

mundi, hoc est horrendis vitiis, quibus ut magneti ferrum, tenaciter adhaerent? Ergo teterrima haeresis est ebrietas; teterrima haeresis est luxuria; teterrima haeresis est avaritia; teterrima haeresis est superbia; teterrima haeresis sunt scandala, quae ubique humanam societatem fatigant; teterrima haeresis sunt turbulenti hominum affectus, qui animum impediunt ne possit cernere verum, *figuntque humo divinae particulam aurae.* De quibus, nisi de hodiernis hominibus intelligendum illud Pauli: *inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est?* De quibus, nisi de hodiernis hominibus intelligenda illa Salvatoris nostri iustissima quaerimonia: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me?* Sed quid multa? Hodiernus Mundus a Deo alienatus ad serviendam idolorum servitutem omnis est conversus, et interea vocitatur: Ubi sunt haereses extirpandae? O rem cum auditu crudelem, tum visu nefariam! O inauditam deperditorum hominum impudentiam! Quousque tandem abutentur patientia nostra? Ah taceat aliquando hoc tam triste viperarum genus; taceat, et sinat nos, quorum maxime interest, hac Synodo indicere bellum omnibus vitiis; taceat, et sinat nos hac Synodo excitare atque inflammare Christimilites ad illud strenue gerendum causa divini honoris tuendi atque vindicandi; taceat, et sinat nos hac Synodo pervigilare, ut nemo pereat ex

iis, de quorum animabus sumus quasi rationem Deo reddituri; taceat, et sinat nos hac Synodo perficere, quantum est in nostro Ministerio, ut quae oves sunt in ovili videant ne aberrent, et quae iam aberrarunt in ovile redeant. Verum scitis ne cur nos non desinunt suis urgere dictis? Quia nondum ad illa: Ubi sunt hostes in officium redigendi? responsum dedimus. Et quid? Num propterea dicendum non esse hodie Ecclesiae hostes, quod non instant, ut quondam, bellicae phalanges, cum quibus, explicatis vexillis, dato signo, congredi necesse sit districtis gladiis? Utinam ita esset; Sed hei mihi! sub nomine pacis quantum bellum latet! Hei mihi! qualis hostium natio dilacerat corpus Christi! Hei mihi! Huc malorum pervenimus, ut familiares et domestici Dei facti sint Ecclesiae crudeliores inimici! Et (eloquar hic, an sileam?) Et Nos—concede mihi hanc licentiam, Benignissime Præsul, vos quoque mihi date veniam Consacerdotes mei—Nos, nos, dicam enim aperte, Nos precipue sumus tales inimici; Nos, o quam veterum degeneres exemplarium; Nos, non iam ovibus pascendis intenti, sed saecularibus negotiis gerendis; Nos, non iam Lux Mundi, et Sal Terrae, sed caeci duces magis caecorum satellitum; Nos, qui non iam Dominicae Vineae vigiliae et custodes, sed fures et vastatores; Nos, qui non iam plebi nobis concreditae signiferi sumus ad vitam, sed mortis auctores evasimus. En quo deser-

tio veteris disciplinae nos perduxit miseros! Interim ad caeteras nostras miserias profanorum velut cumulus accedit perfidia, qui salutaria remedia nobis eripere volentes, haec florentissima Synodalia Comitia irrident illis vocibus: Ubi sunt hostes in officium redigendi? Quasi vero nos in semitam antiquam revocandi non simus, aut Dioecesana Synodus in clericos moderandos incumbere potissimum non debeat! Quae cum luce clariora sint, non potest satis laudari SAPIENTISSIMUS ANTISTES NOSTER, qui Tridentinae et Lateranensis tertiae dictis audiens atque obediens, hanc Synodum coegit, qua primo clericos, tamquam factos forma gregis, deinde gregem ipsum summopere curemus. Et quoniam *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,* et hic *totum habere nos voluit per Mariam;* quam clarissime patet huius nostri *Antesignani* vera religio, qui seipsum tantae Dominae gregemque suum assidue commendat; qui eam sui ac gregis rectricem, ducem, patronam veneratur et colit; qui ob id hac tanto totius orbis terrarum plausu celebrata die Synodum Dioecesanam cogere atque emanare voluit, ut, *Virginis sine labe conceptae* presidio suffultus, possit summa fiducia obtinendi petere cum Psalmista: *Pluviam voluntariam segregabis, Domine, haereditati tuae.* O singularem Pastoris ac Patris nostri pietatem! O Neocastrensis Ecclesiae incredi-

bilem felicitatem! Enimvero, cum *vera pietas,* ex Augustini dicto, *sit verax veri Dei cultus,* quid pietate efficacius ad dona coelestia impetranda? Cum natura homines beneficiis potius, quam severitate poenarum capiantur, ubinam amuletum invenitur pietate fortius ad fideles omnes pertrahendos in viam bonam, per quam expediti ad Deum incedant? Pietas est vera ratio gignendi per Evangelium filios spirituales Iesu Christo. Quare Tu, Mi Præsul, hac divina virtute fretus, *Deo et Deipara* bene iuvantibus, loquere mandata vitae, et Plebs tua intentis auribus audiet, quoniam in Te habet quod imitetur, in Te habet quod diligit. Loquere, imo iube quae omnia nobis facienda sunt, et nos omni qua decet reverentia iussis tuis morem geremus, cum pro certo habeamus Te iugum suave, et onus leve impositurum. Et sic Deus me adiuvet, quae mens, quis animus huic tam insigni pietate viro in hac Synodo celebranda, nisi tantummodo Ecclesiae Piae-Matris veteres sanctiones eo consilio commemorare, ut in promptu sit nobis omnibus quid sequi, quid vitare debemus in officiis nostri ministerii fungendis? Quamobrem nihil omnino prohibet quominus ad optatam metam celeri cursu contendamus. At in primis nostram vitam reformemus oportet; nam, ut ait Divina Scriptura, *sicut populus, sic Sacerdos.* Et Divus Hieronymus iam ex suo tempore clamabat totis viribus; *Cleri vita Ecclesia*

Dei debet ornari; propter enim Peccata Sacerdotum Sanctuarium Dei destructum est. Eia igitur, VENERABILES PATRES, et quotquot in sortem Domini vocati estis; si nobis honor divinus et Populi salus Christi sanguine redempti vere dulcia sunt, summà ope niti debemus, ne vitam transeamus veluti pecora, quae natura finxit prona atque obedientia carnalibus desideriis; sed potius eam ducamus, qualis illos decet, qui non huius, sed futuri saeculi cives sumus; qualis illos decet, qui pro *Christo legatione fungimur;* qualis illos decet, de quibus dixit Incarnata Veritas: *Erunt sicut Angeli;* qualis illos decet, de quibus Divus Ambrosius aiebat: *Munus Spiritus Sancti officium sacerdotis.* Haec omnia mente recogitantes qui possumus non agnoscere quantum dignitati Sacerdotali sit ponderis? Qui possumus filiali quo pollemus obsequio leges non accipere, quas, Spiritus Dei afflante, PIISSIMUS EPISCOPUS ET LEGISLATOR NOSTER, de nostro et gregis bono regimine mox est laturus? Qui possumus non eas verbo et exemplo populum docere? Caeterum si ratio summi officii minime permovet, equidem fieri non potest quin illis obiurgationibus moveamur, quas iratus Dominus in novissimo contra desides Sacerdotes erit prolaturus: *Si speculatores in domo mea eratis, cur caeci? Si pastores, cur gregem vobis commissum errare permisistis? Si sal terrae, quonam modo evanuistis? Si lux era-*

tis, cur sedentibus in tenebris, et umbra mortis non illuxistis? Si os Domini, cur muti fuistis? Ecquid ad haec tum respondebimus ei? Quam excusationem erimus allaturi, cum non dicam negligentia, sed ipsa nostrorum officiorum ignorantia deputetur ad culpam? Expergiscamur aliquando; Fratres mei in Iesu Christo; exspergiscamur, et illuminemur, ut aberrantium pedes in viam pacis dirigamus. Spiritus Domini loquitur hodierna die per HYACINTHUM MARIAM BARBERI. Curemus itaque ne in vacuum gratiam Dei recipiamus; studeamus ut quemadmodum Propheta, sic et nos dicere possimus: *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem Tibi.* Videamus, an in conspectu Dei Omnipotentis puro corde, et casto corpore ministremus, an singulas ordinis dignitati, aut canonicatui annexas functiones attente, pie ac religiose expleamus, ne super nos cadant maledictiones ab ipso Summo Deo Sacerdotibus Aaronicis transgressoribus comminatas: *Si audire nolueritis vocem Dei vestri, ut custodiatis, et faciatis caeremonias, quas Ego praecipio vobis hodie, venient super vos maledictiones, et apprehendent vos.* Quibus a maledictionibus prohibeat nos, quaeso, misericordia tua Domine. Vos, clarissima Ecclesiae lumina, Petre et Paule Apostoli, quibus vestri, licet degeneres successores et sequaces, studium est tueri, intercedite pro nobis. Tuque prae omnibus, *Sanctissima*

Virgo sine labe concepta, adiuva nos tua validissima intercessione. Ad tuos pedes provoluti, gementes et flentes hoc *Tibi* rogamus, ut a *Iesu Christo filio Tuo Domino nostro* illam gratiam impetres, per cuius auxilium valeamus facere quae ipse praecepit, et quicquid illius Organum EPISCOPUS NOSTER hac Synodo erit praecepturus. Tu fac praeterea ut nos pastores ovium, expleto huius vitae curriculo, a terrenis tandem possimus ad coelestia pascua cum ovibus ipsis feliciter pervenire. Fiat, fiat, per tuam immaculatam conceptionem, o POTENTISSIMA VIRGO.



DECRETUM

DE INCHOANDA SYNODO.

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Nos Fr. Hyacinthus Maria divina miseratione Episcopus Neocastren, iudicium durissimum a Summo Iudice his qui praesunt terribiliter comminatum vitare studentes, postquam totam Dioecesim qua potuimus diligentia visitavimus: Sacro quoque Concilio Tridentino obtemperantes hanc primam Synodum Dioecesanam indiximus, et hoc Immaculatae Virginis Conceptionis solemnissimo die, devotissime incipimus, et incoeptam esse volumus. Si enim Deus cum sit aeternus legem quoque aeternam in se habet, quae in gubernationis rerum ratione consistit, ut ait S. Thomas; eo magis creatura rationalis, cum sit defectibilis, legibus indiget ut ultimum possit pertingere finem.—Verum, inquiunt: leges superabundant.—Sed vox illa Psalmi: *Legem pone mihi Domine* vox iusti est, uti exponit Augustinus; iustus enim proficere desiderans, et Dei donum cognoscens esse quod proficit, quid aliud quaerit cum sibi legem poni petit, nisi ut in ea magis magisque proficiat?

Synodus Dioecesana quaerebatur: hoc apud omnes erat in votis. Laudabilis est, imo sancta ista petitio; vox enim iusti est. Ast Synodus ut lex, lex autem

parit obligationem, obligatio denique parit peccatum, dummodo lex non impletur. Satagite ergo, Fratres, ut ea quae hodie, Deo auxiliante, sancimus, vestra obedientia compleantur, nisi ad aes sonans vel cymbalum tinniens Dioecesana haec Synodus reduci maxime culpabiliter vultis.—Pro me stat Ezechiel Propheta: *Si autem tu annunciaveris impio, et ille non fuerit conversus, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Sed absit, absit omnino. Non enim impiis sed filiis in Christo carissimis loquor. Et iam: *Loquere* unusquisque vestruum dicit in corde suo, *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Loquamur itaque verba synodalia, quae verba sunt salutis; et doctrinae opportunitate infirma confirmamus, disrupta consolidamus, depravata convertamus, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendamus. Loquamur verba salutis, nam quidquid ad laudem Omnipotentis Dei pertinet, firmandum, quidquid ad ovium nostri gregis sanctificationem requiritur decernendum, et quidquid sapit abusum, hisce constitutionibus Synodalibus tollendum duximus, et: *incipiam a domo mea.*

TIBI

O MATER VIRGO SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA
SUB CUIUS PROTECTIONE IN HUNC MUNDUM VENI,
ET HODIE ME, UNIVERSAMQUE DIOECESIM MEAM
IMO TUAM, TUÆ TUTELÆ COMMENDO;

TIBI

O SEDES SAPIENTIÆ,
OB CUIUS DEVOTIONEM,
ECCLESIA NEOCASTRENSI PLAUDENTE,
HANC DIEM
TUÆ IMMACULATÆ CONCEPTIONI SACRAM
PRO TANTA FESTIVITATE SELEGI,

TIBI

O CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ,
PER QUAM ÆTERNUM OBTINERE GAUDIUM
FIRMITER SEMPERQUE SPERAVI

TIBI

O DULCISSIMA MARIA,
HANC PRIMAM SYNODUM DIOECESANAM,
AD MAIOREM FILII TUI GLORIAM
ET FILIORUM TUORUM SALUTEM
CONVOCATAM

D. O. D.

CAPUT I.

DE FIDEI PROFESSIONE.

Sicut nullum opus stabile consistere sine fundamento potest; ita spiritualis aedificii moles absque firmissimo Fidei Catholicae fundamento perdurare nequit. Ipsa enim est initium humanae salutis, ostium vitae, iustificationis radix et fundamentum. Idcirco consueta Sacrorum Conciliorum institutione, et eo, quod S. Tridentina Synodus (Ses. XXV de reform.) de professione Fidei decrevit, adducti, hanc Nostram Primam Synodum a Fidei professione exordium sumere constituimus.

Quapropter vos omnes, qui in Domino Nobiscum congregati estis, professionem Fidei iuxta formam, quam S. Pius V. Pont. Max. in sua Bulla *Iniunctum* Nobis fieri mandavit, opus est emittatis.

Formula Professionis Fidei Catholicae.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, ut : Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum

de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et excepto Resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et Constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum admitto, nec eam umquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque Septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis a Iesu Christo Domi-

no nostro instituta ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium. Illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae Ritus in supradictorum Sacramentorum solemni administratione admitto et recipio. Omnia et singula, quae de peccato originali, et iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento esse realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis iuvari, similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos, atque invocandos esse: eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissime assero Imagines Christi, et Deiparae semper Virginis, nec non et aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, eisque debitum honorem ac venerationem impertiendam; Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarum usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco. Romanoqne Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus, et OEcumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, Ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem (extra quam nemo salvus esse potest) quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac iuro: sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

Eamdem Fidei professionem in manibus Nostris, vel Nostri Vicarii Generalis Canonici, Dignitates huius Sanctae Cathedralis Ecclesiae, Provvisi de Beneficiis curam animarum habentibus emittere tenentur intra duos menses, acquisita possessione; alioquin non faciunt fructus suos. Pariterque Concionatores tam saeculares, quam Regulares, priusquam ad obeunda eorum munera aggrediantur.

CAPUT II.

DE OFFICIALIBUS, SEU MINISTRIS SYNODI.

Ut recte et ordinate omnia procedant, et fructuosius perficiantur in Synodo Dioecesana, Concilium IV Toletanum, ut in Caerimoniali Episcoporum legitur, statuit deputandos esse Officiales et Ministros necessarios huiusmodi Concilio, quales sunt Notarii, Magistri Caerimoniarum aliique. Nos igitur obtemperantes tam salutari Decreto, et prosequentes, quod praefato Caerimoniali praescriptum est, Officiales et Ministros eligimus, quibus committimus omnem diligentiam adhibere, ut accurate omnia procedant in huius Synodi celebratione.

Isti sunt quos Vobis nunc annunciamus

Promotor Synodi

Adm. Rev. Archidiaconus D. Luca Antonius Cianflone.

Consultores Synodi

Adm. Rev. Poenitentiarius D. Carolus Antonius Talarico.

Adm. Rev. Primicerius D. Fortunatus Bernardi.

Praefectus Disciplinae

Adm. Rev. Canonicus D. Gregorius Scalise.

Notarius seu Cancellarius Episcopi

Adm. Rev. Canonicus D. Felix Bevilacqua

Magister Caerimoniarum

Adm. Rev. Canonicus D. Ioseph Lanzo

Secretarius Synodi

Adm. Rev. Canonicus D. Petrus Ardito

Confessarii Synodi

Adm. Rev. Archidiaconus D. Luca Antonius Cianflone.

Adm. Rev. Poenitentiarius D. Carolus Antonius Talarico.

Adm. Rev. Archidiaconus Martiranensis Collegiatae D. Dominicus Cimino.

Adm. Rev. Archipresbyter Curtalis D. Antonius Manenti.

Ostiarii Synodi

Adm. Rev. Canonicus D. Ioannes De Sacco.

Adm. Rev. Canonicus D. Salvator Milizia.

Praefectus Ospitiorum

Adm. Rev. Canonicus D. Antonius Dattilo.

CAPUT III.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

Quoniam Patres Sacri Concilii Tridentini *Sess. XXIV. Cap. XVIII. de Reform.* decreverunt examen concurrentium ad Ecclesiam Parochialem curam animarum habentem institui, et peragi concursus coram tribus Examinatoribus Synodalibus, qui super Sancta Dei Evangelia iurare tenentur, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter executuros esse hoc munus, nec aliquid accipere occasione examinis sub poenis in praefato Capitulo expressis; ideoque, eiusdem Sacrosancti Concilii instituta exequentes, infrascriptos Examinatores Vobis proponimus, ut a Vobis adprobatis, suum munus exercere valeant usque ad aliam huiuscemodi Synodum, etiamsi ultra annum eius convocatio protrahatur.

Admodum Rev. D. Franciscus Maria Crecca Decanus et Pro-Vicarius Generalis in Sacra Theologia Magister, Utriusque Iuris Doctor.
Adm. Rev. Archidiaconus D. Luca Antonius Cianflone.
Adm. Rev. Cantor D. Costantinus Caliciure.
Adm. Rev. Thesaurarius D. Aloysius Misiani.
Adm. Rev. Capellanus Maior D. Thomas de Sacco.

Adm. Rev. Poenitentiarius D. Carolus Antonius Talarico in Sacra Theologia Licentiatus.

Adm. Rev. Primicerius D. Fortunatus Bernardi cum Praebenda Theologali in Sacra Theologia Doctor.

Adm. Rev. Canonicus D. Salvator Saladini.

Adm. Rev. Canonicus D. Antonius Dattilo.

Adm. Rev. Canonicus D. Ioseph Lanzo.

Adm. Rev. Canonicus D. Raphael Fimiano.

Adm. Rev. Canonicus D. Gregorius Scalise.

Adm. Rev. Canonicus D. Antonius Paola.

Adm. Rev. Canonicus D. Felix Bevilacqua.

Adm. Rev. Canonicus D. Petrus Ardito.

Adm. Rev. D. Rosarius D'Agostino Decanus Collegialis Ecclesiae Martiranen.

Adm. Rev. D. Dominicus Cimino Archidiaconus dictae Collegialis.

Adm. Rev. D. Franciscus de Napoli Thesaurarius eiusdem Collegialis.

Adm. Rev. D. Xaverius Ariano Canonicus eiusdem Collegialis.

Adm. Rev. D. Carolus Maria Tallarigo Canonicus eiusdem Collegialis.

Adm. Rev. D. Franciscus Maria Talarico Decanus Curatus Collegialis Ecclesiae Siciliani Diani.

Adm. Rev. D. Aloysius Pallone Cantor.

Adm. Rev. D. Antonius Mancnti Archipresbyter Terrae Curtalis.

Adm. Rev. D. Bruno Sinopoli Parochus Maiden.

Adm. Rev. D. Ioseph Cantafio Archipresbyter Terrae Migliarinae.

Adm. Rev. D. Michael Mancuso Parochus S. Michaelis.

Adm. Rev. Fr. Bernardus a Gimigliano Provincialis Capuccinorum.

Adm. Rev. Fr. Laurentius Varano ex Provincialis Ordinis Praedicatorum.

Adm. Rev. Fr. Ioannis Baptista a Neocastro Definitor Minorum de Reformatione S. Francisci.

Adm. Rev. Fr. Ioseph Gencarelli Provincialis Minimorum S. Francisci de Paula.

Adm. Rev. D. Franciscus Mauro Decanus Cathedralis Ecclesiae Scyllacen.

Adm. Rev. D. Antonius Puiia Archipresbyter Philadelphiae.

Adm. Rev. D. Antonius Sanctus Mauro Archipresbyter Padulae Dioecesis Diani.



CAPUT IV.

DE IUDICIBUS SYNODALIBUS.

Inhaerentes Sacri Concilii Tridentini Decreto *Sess. XXV. Cap. X. de Reform.;* in hac Nostra Dioecesana Synodo Iudices, quibus Causae Ecclesiasticae et Spirituales, et ad Forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae, committantur, sequentes instituimus et declaramus:

Adm. Rev. D. Franciscus Maria Crecca Decanus et Pro Vicarius Generalis.
Adm. Rev. Archidiaconus D. Luca Antonius Cianflone.
Adm. Rev. Cantor D. Costantinus Caliciure.
Adm. Rev. Thesaurarius D. Aloysius Misiano.
Adm. Rev. Capellanus Maior D. Thomas De Sacco.
Adm. Rev. Poenitentiarius D. Carolus Antonius Talarico.
Adm. Rev. Primicerius D. Fortunatus Bernardi.
Adm. Rev. Canonicus D. Salvator Saladino.
Adm. Rev. Canonicus D. Antonius Dattilo.
Adm. Rev. Canonicus D. Ioseph Lanzo.
Adm. Rev. Canonicus D. Gregorius Scalise.
Adm. Rev. Canonicus D. Antonius Paola.

CAPUT V.

DE VICARIIS FORANEIS.

Sicut ministerio Parochorum in Sacramentorum administratione et divini verbi praedicatione indigemus; ita ad Ecclesiasticam Disciplinam in Dioecesi continendam, officialium, qui Foranei vocantur opera iuvamur.

Quapropter istorum cura est mores Ecclesiasticorum explorare; inquirere an quis ab Ecclesiae servitio discedat, non obtenta prius Nostrae Curiae licentia; si Parochi Sacramenta sanis et infirmis administrent; si diebus festis inter Missarum solemnia Evangelium exponant et accurate exequantur, quae in hac Synodo tam ipsis Parochis, quam reliquis Clericis praescripta sunt; si bona Ecclesiastica fideliter custodiantur. Si vero noverint aliquos a recto tramite deflectere, prius paterne illos admoneant, et si contumaces et inobedientes se ostendant ad Nos puniendos referant.

In recipiendis depositionibus de statu libertatis eorum, qui matrimonium contrahere volunt, et in conficiendis processis instruentibus ex commissione Nostrae Curiae, plena fidelitate, et integritate, absque ullo favore se gerant.

Meminerint autem, ut cum ab aliis Ecclesiasti-

cae Disciplinae observantiam exigunt, ipsi exemplo probatae vitae praefulgeant, oportet.

Ii sunt quos Vicarios Foraneos decernimus.

Pro Terra S. Blasii, Izzariae, et Plataniae Adm. Rev. Sacerdos D. Gregorius Sinopoli.

Pro Civitate Martiranen, Conflentorum, et Mottae Adm. Rev. Thesaurarius D. Franciscus de Napoli.

Pro Civitate Sciliani, Panettieri, Colosimi, Pittarellae, Bianchi et Pediviliani Adm. Rev. Archipresbyter D. Alfonsus Talarico.

Pro Civitate Maiden, S. Petri ad Maiden, Curingae et Montesauri Adm. Rev. Sacerdos D. Ioseph Serratore.

Pro Terra Tyrioli, S. Petri ad Tyriolum, Marcellinarae, Migliarinae et Amati Adm. Rev. Sacerdos D. Franciscus Critelli.

Pro Terra Castaneae, Serrastrictae, Subariae, Mannelli et Decollaturae Adm. Rev. Sacerdos D. Dominicus Fazio-Mazzei.

Pro Terra Curtalis, Venae et Iacursi Adm. Rev. Sacerdos D. Antonius Cefali De Caria.

Pro Terra Ferolethi Antiqui et Plani, Accariae, S. Michaelis et Anguli Adm. Rev. Sacerdos D. Paschalis Pugliese.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Omnibus compertum est septem esse Sacrosanctae Religionis Nostrae Sacramenta, quae ex vulnerato latere Salvatoris manaverunt, et ex quibus vera iustitia, vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur; et per quae ad veram vitam, quae vere vita est, intratur. Proinde necessarium duximus Parochos aliosque Sacerdotes, quibus haec praetiosa dona administrare commissum est, monere, quanta cura adhibenda sit, ut fideles sint mysteriorum Dei dispensatores.

Oportet igitur considerent quod Sancta sancte tractanda sunt; ideoque omni studio cavere debent a Sanctis Sacramentis administrandis, si conscii sint se mortali reatui obnoxios esse, nisi prius conscientiam mundaverint Sacramentali Confessione; vel saltem, si necessitas urgeat, actu contritionis; ne, dum aliorum saluti studeant, sibimet damnationis auctores fiant. Atque, ut internae animi dispositioni externus cultus respondeat, in administratione Sacramentorum, Sacerdotes veste talari, superpellicio, et Stola utantur: reverentiam et debitam gravitatem in omnibus adhibeant, ut pariter in suscipientibus devotio animi excitetur.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

Ianua omnium Sacramentorum est Baptismus saluti necessarius, dicente Domino *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quapropter breviter praescribimus, quae Parochis sint facienda ut valide et licite hoc Sacramentum administrent.

Cum igitur materia huius Sacramenti sit aqua benedicta in Sabbato Paschae Resurrectionis, et in Sabbato Pentecostes, quae omnino est adhibenda, excepto casu necessitatis ; talis aqua diligentissime custodiatur in Fonte lapideo, cui est superpositum tabernaculum ligneum conopeo vel conveniente velo coopertum, cuius in summitate imago S. Ioannis Baptistae emineat, et cancellis firmissimisque seris claudatur, cuius clavis a Parocho diligentissime custodiatur. In contignatione dicti Tabernaculi vascula argentea vel saltem stamnea nitida sacrorum oleorum Chrismatis et Catechumenorum deponantur ; et prope dictum Fontem sit Sacrarium in quo versentur aqua quae fluit de capite baptizati, et ea quae superant de adhibitis pro purificatione manuum administrantis.

Minister ordinarius huius Sacramenti est Parochus, vel alius Sacerdos de licentia Parochi : qui

cum vocati fuerint ad Baptismum administrandum, ante omnia diligenter inquirant, si necessitate urgente, privatim domi collatus fuerit : quo in casu accurate perquirant a quo et quomodo fuerit administratus; et si repererint omnia rite peracta a baptismo abstineant, sed tantum preces et caerimonias praetermissas conficiant ut in Rituali Romano. Si autem rationabiliter dubitent de eius validitate, sub conditione illum administrent.

Et quoniam eis, qui baptizantur, tamquam Dei militiae adscribendi sint, nomina sunt danda, Parochi curabunt, ne profana, fabulosa, vel impiorum ethnicorum imponantur; sed potius Sanctorum, quorum exemplis ad pie vivendum excitentur in terris, et patrociniis protegantur in coelis.

Ex antiqua Ecclesiae consuetudine in Baptismo Patrini adhiberi solent; propterea necessarium admonere Parochos putamus, ne praeter unum sive virum, sive mulierem, vel saltem unum et unam admittant, qui sint in aetate pubertatis et confirmati : omnino autem excludantur pubblici criminosi et infames, et qui Praecepto Paschali non satisfecerint, aut Fidei rudimenta ignorant.

Demum praecipimus Parochos habere decentem et bene compactum librum in quo baptizatorum, eorumque parentum et patrinorum nomina inscribantur, iuxta formam, quae in calce Ritualis Romani reperitur.

CAPUT VIII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Christus Dominus Noster omnium Sacramentorum auctor, virtute ex alto corroboraturus, sacro Chrismate, tamquam spirituales athletas, iam baptizatos inungi et solemnibus verbis consignari instituit, ut fortiores effecti, nequissimi hostis tela retunderent, et coronam immarcescibilem reportarent.

Etsi hoc Sacramentum ad Nostram Pastoralem Curam pertineat; Parochos tamen qui aliquas partes in eo habent, perpaucis monemus, ut postquam noverint quando hoc Sacramentum administraturi simus, populo denuncient, simulque edicant ut statuta die et loco Confirmandi accedant, mundo corporis cultu atque devoto animo, deferentes secum schedulam in qua nomina et cognomina eorum parentum, atque patrini descripti sint; nec non si sint adulti, et sacramentaliter se fuerint confessi; etenim sine dicta schedula a Parocho subscripta nemo admittatur.

De Patrinis, omnia et singula quae dicta sunt de istis in Baptismate, serventur: tantum addimus ne aliquis tale onus suscipiat, trium confirmandorum numerum praetergrediendo: id omnino prohibentes Clericis saecularibus et Regularibus, sine Nostra expressa licentia.

CAPUT IX.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Quanta devotione et reverentia servandum et colendum; quanta animi puritate et viva fide suscipiendum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod summe caetera omnia superexcellit, verbis ut decet, explicari nequit. Nihilominus quantum humilitas Nostra sinit, aliqua praescribimus, ut hoc Sanctissimum Pignus amoris Divini erga nos servetur, colatur, et qua decet reverentia, et viva fide suscipiatur.

Quapropter Parochi, Rectoresque Animarum curent, ut Tabernaculum, quo est servanda Sanctissima Eucharistia, sit affabre elaboratum; intus revestitum panno serico rubri vel alterius decentis coloris, et in plano habeat corporale nitidum. Duo tantum Pyxides argenteae intus deauratae, et aureo vel serico velo contectae serventur, et nihil aliud utcumque sacrum sit. Altera dictarum Pyxidum iugiter contineat sacras Particulas, ea copia ut infirmis maxime non desint; altera vero semper vacua, in qua tres vel quatuor consecratae Particulae deponantur cum infirmis Sanctissimum hoc Sacramentum deferendum erit. Ostiolum dicti Tabernaculi firma sera, et clavi argentea vel saltem deaurata, funiculo oloserico appensa claudatur, quam

Parochus penes se diligenti cura custodiat sub poena suspensionis. Ante ipsum Tabernaculum diu et noctu saltem lampas una accensa dependat.

Circa cultum huius ineffabilis Sacramenti praescribimus ante omnia ne solemnis expositio umquam fiat nisi ex urgenti et rationabili causa a Nobis vel a Vicario Nostro adprobanda ; nec etiam in Ecclesiis Regularium: excepta Feria V. post Octavam Pentecosten, cum ex praecepto Urbani IV. Solemnitas Corporis Christi a Fidelibus celebratur et per totam Octavam.

In supplicatione serotina, quae pene in omnibus Ecclesiis fit, tantum Ostiolum Tabernaculi aperiatur, ubi reposita est Pyxis cum consecratis Particulis, et non exponatur super altari: in quo saltem sint sex candelae accensae.

Quod ad usum huius Sancti Sacramenti attinet, continuo Parochi populum hortentur ut quam saepissime ad Sanctissimam Eucharisticam Mensam accedant: minimum in quatuor anni temporibus, videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in Pentecoste, in Festo Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae et in illo Omnium Sanctorum. Clerici autem, etiam in minoribus constituti, saltem bis in mense devote Sanctissimam Eucharistiam sumant.

Aliter dicendum de Praecepto Paschalis Communionis ab Ecclesia iniuncto sub poena interdicti omnibus Fidelibus cum ad aetatem discretionis per-

venerint. Ideoque Parochi diebus Dominicis Sacrae Quadragesimae populum opportune, importune, obsecrando, monendo hortabuntur, ut, tempore statuto, devote et animi puritate hoc salutare praeceptum adimpleant. Peracto vero tempore Paschali sine acceptione personarum, Nobis transmittant indicem eorum qui neglexerunt huic praecepto satisfacere sub poenis Nostro Arbitrio infligendis.

Praecipue autem accuratissima cura sit Parochis infirmorum,ut ex eis nemo sine Sanctissimo Eucharistico Viatico ex hac vita discedat. Itaque statim ac vocati fuerint, quacumque hora, diu vel noctu, nulla interposita mora, ad infirmos accedant, et eorum Sacramentales Confessiones vel ipsi, vel alius Confessarius ab infirmis electus excipiat; et ita dispositis, Sanctum Viaticum eis deferant.

CAPUT X.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Salvator Noster Christus Dominus Sanctissimam Eucharistiam instituit non solum ut Sacramentum, sed etiam ut Sacrificium, quo cruentum illud in Cruce peractum repraesentaretur.

Proinde breviter expositis et sancitis, quae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum respiciunt, eadem brevitate, quae ad celebrationem huius San-

cti Sacrificii pertinent praescribimus; et monemus, ut omnes intelligant quanta maxima puritate et animi pietate, quantaque decentia hoc tremendum Sacrificium tractandum sit.

Primum praecipimus Sacerdotes ad huius Sacrificii ministerium accedere veste talari et clericali tonsura.

Secundo: Celebrato Matutino cum Laudibus, et devoto animi sensu recitatis saltem precibus, quae in principio Missalis habentur, se ad celebrationem disponant. Postea sacris induti vestibus, capite birreto coopertò, modesto et gravi incessu ad altare procedant: at nemo praesumat Missam celebrare ostio Tabernaculi aperto, sub poena suspensionis.

Tertium: Nimium ne properent, nec importuna prolixitate populum taedio afficiant in celebranda S. Missa: idest ultra horae dimidium.

Quarto: Tempore quo Parochi diebus festis de altari S. Evangelium populo exponunt; vel alii Concionatores Verbum Dei enunciant, nemo audeat accedere ad celebrationem Missae sub poenis Nostro Arbitrio.

CAPUT XI.

DE ADIMPLENDIS ONERIBUS MISSARUM.

Rectoribus Ecclesiarum Cathedralis, Collegiatarum et etiam Parochialium enixe praecipimus, ut, sedulo, et quantum fieri potest, inspectis scripturis, quibus onera Missarum continentur, Tabellam conficiant, in qua clare et distincte talia onera notata sint, cum suis adiunctis, nempe quo die, quo loco sint celebranda; si cum cantu vel simpliciter; si cum interventu vel sine participantium Sacerdotum.

Nemo audeat numerum Missarum reducere, quantalibet incongrua tenuiaque stipendia fuerint, vel praetextu diminutionis reddituum tali oneri addictorum, ne in grave peccatum et obligationem restitutionis incurrant; namque a sola Apostolica Sede reductio Missarum fieri poterit.

Demum districte prohibemus Capitulis, et Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, sine Nostra licentia in scriptis data, servatis servandis, onera perpetua Missarum suscipere sub poena suspensionis a Divinis.

Pro stipendio uniuscuiusque Missae planae iuxta taxam et consuetudinem huius Dioecesis exigi possunt asses viginti: si vero maius sponte a devotis offertur, accipere non vetamus, petere omnino interdicimus.

CAPUT XII.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Licet Misericors Deus et Dominus Noster Iesus Christus per salutare Baptismi lavacrum a peccati originalis labe homines mundaverit; per Sancti Chrismatis unctionem muniverit contra hostium nostrorum incursum, et per Sanctissimam Eucharistiam nutriat et pascat; nihilominus agnoscens, imbecillitate nostra et proclivitate ad malum, in peccata relapsuros esse, Sanctum Poenitentiae Sacramentum instituit.

Et cum huius Sacramenti administrationem Sacerdotibus, tamquam iudicibus spiritualibusque medicis committere voluerit; Officii Nostri Pastoralis est, ut quam breviter aliqua praecipiamus, quae ab ipsis servanda sint pro fideli dispensatione huius salutaris medicinae.

Nullus igitur Sacerdos praeter Parochos et curatores Animarum, sive regularis sit, sive saecularis, sacramentales Confessiones fidelium excipere audeat, priusquam a Nobis praevio examine, licentiam obtinuerit, excepto casu extremi periculi mortis.

Insuper Confessarii ut supra adprobati, statim ac ad audiendam Confessionem vocati fuerint, prompte se praebeant, et postquam piis precibus Divinum imploraverint auxilium, non elate, non cu-

riositatis, nec turpis lucri studio, sed pii humilesque et decenti gravitate in exedram ad excipiendas Confessiones veste talari se conferant. Ibique patienter, et in silentio audiant Confessiones poenitentium, adiuvantes eos, quotiescumque opus fuerit, et fiduciam praebentes, ut sincere et integre se confiteantur. Si vero poenitentes numerum et species et circumstantias peccatorum non expresserint, Confessarius prudenter interroget, et omnino caveat ab inutilibus et curiosis interrogationibus: praesertim si fuerint iuvenes utriusque sexus, ne scandalum patiantur, et peccare discant.

Audita Confessione, paterna caritate eos corripiat, et ad cordis dolorem atque ad meliorem vitam capessendam adducere conabitur: posteaque salutarem, et gravitati peccatorum convenientem satisfactionem iniungat. Poenitentias pecuniarias non attribuat sibi ipsi, neque assumat onus eas distribuendi, sed poenitentis conscientiae relinquat. Si restitutio facienda sit incertis et incognitis, et propterea pro eis eroganda pauperibus aut Ecclesiis; nec sibi, nec suae Ecclesiae vel Conventui ullo modo addicat: sed poenitens utcumque ei libeat, quidquid debeat, distribuat. Si vero restitutio facienda sit alicui cognito individuo, et poenitens onus hoc Confessario imponat, poterit iste annuere, sed curet syngrapham exigere a recipiente, quam suo tempore poenitenti exhibeat.

Cum poenitens aliquis declaraverit se in Sacramentali Confessione sollicitatum fuisse ad turpia, ei iniungat obligationem denunciandi Nobis Confessarium sollicitatorem ; nec absolvatur, nisi postquam denunciationem fecerit.

Omnino demum prohibemus, et sub poena suspensionis a recipiendis Sacramentalibus Confessionibus interdicimus Confessariis tam Saecularibus, quam Regularibus mulierum poenitentium domum introire ; ab iisque quodvis munus recipere sub dicta poena suspensionis.

CAPUT XIII.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Dogma Catholicum est posse Episcopos inferiorum Sacerdotum ita iurisdictionem coartare, ut quaedam atrociora crimina neque in Foro conscientiae et coram Deo absolvere valeant ; quae Sibi relaxanda reservent. Quapropter, Nos adhibitis in Consilio piis et doctis Sacerdotibus, consideratis considerandis, hos sequentes Casus Nobis reservavimus et reservamus.

Casus Nobis reservati.

1. Percussio levis Clerici vel Monachi — *Cap. Pervenit etc.*

2. Abortus cum foetu animato et effectu sequuto — *Bulla Greg. XIV. incip. Sedes Apostolicae.*

Casus a Nobis reservati in hac Synodo Dioecesana.

3. Blasphemantes Deum, Iesum Christum, vel Beatam Virginem expresso nomine, ex perversa consuetudine, coram pluribus.

4. Omnes in Causa Criminali vel Civili, gravi damno proximi, falsum deponentes, nec non inducentes ad falsum deponendum; falsisque testibus, depositionibus, scripturis tam publicis quam privatis quomodocumque utentes.

5. Libellos famosos, vel litteras coecas, aut recursus etiam suppositis nominibus conficientes, scribentes, consulentes, transmittentes, circumferentes, publicantes et scienter affigentes respective sive non contra proximum in re gravi.

6. Homicidium voluntarium seu praemeditatum.

7. Conficientes cuiusvis generis venena in hominum perniciem.

8. Incestus cum coniunctis in primo gradu consanguinitatis vel affinitatis. Mulieres autem si vere sint poenitentes a quocumque Confessario absolvi possunt, gravi tamen imposita poenitentia salutari,

et dummodo causa proxima facta sit salutaribus remediis moraliter remota.

9. Nefandum Sodomiae vel bestialitatis scelus : ita tamen ut in his luxuriae casibus tantum masculi comprehendantur, qui excesserint annos quatuordecim.

10. Sponsi et sponsae post contracta sponsalia inter se copulam habentes ante nuptiarum celebrationem. Parentes vel ii quorum interest id permittentes vel non impedientes.

11. Viri et mulieres turpe lenocinium patrantes: nec non mandantes, cooperantes, consulentes, aut auxilium aut locum praebentes. Lenocinium parentum ad deflorationem filiae, et mariti ad adulterium uxoris aut non impedientes.

12. Confessarii ob pravum finem inhibentes suis poenitentibus, praesertim foeminis alteri Confessario se confiteri.

13. Parochi vel Parochorum vices gerentes coniungentes in matrimonium sponsos ignorantes Fidei rudimenta.

14. Haeredes Clericorum Beneficiatorum, qui iura vel scripturas, vel libros, vel alia huiusmodi ad beneficium respective spectantia malitiose occultant, vel retinent, vel alio modo asportant, vel vitiant aut mutilent.

15. Censurae omnes quae in Synodo continentur.

CAPUT XIV.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Ad abstergenda peccata, quae adhuc inexpiata remanent, ad levamen animae aegrotantis, ad Diaboli tentationibus facilius resistendum et corporis salutem assequendam, si saluti animae expedierit, hoc Sacramentum, quod dicitur Extremae Unctionis, vel ut frequentius, Oleum Sanctum, Christus Dominus instituit, et discipulo suo Iacobo commendandum et promulgandum reliquit.

Cum autem huius Sacramenti Ordinarius Minister sit Parochus, muneris sui erit, omni quae datur occasione, populum fidelem instruere de salutaribus eius effectibus: praecipue temporibus his, quibus fere ab omnibus parvipenditur, removere, omni conatu ab animis fidelium laetale et erroneum praeiudicium, impiamque opinionem hoc Sacramentum esse nuncium mortis, et per eum mortem evenire, cum contra animam et corpus iuvat, si viva fide, sancte et devote suscipiatur.

Proinde maiori cura et sollicitudine Parochus statim ac noverit aliquem gravi et periculoso morbo laborare, eum, vocatus vel non, quacumque hora, diuque noctuque invisat; et si infirmus integris erit sensibus et sana mente, ad petendum et

devote recipiendum hoc sanctum et salutare Sacramentum disponat; nec expectet ut ad extremum vitae deveniat, et semicadaver inungat. Si forte acciderit, ut non raro (dolentes dicimus !) consanguinei, affines, amici, aliique eum impediant quominus in cubiculum infirmi introeat, vano praetextu infirmitatem non esse ad mortem, vel stultae pietatis; Parochus non modo huiusmodi vere inimicos eorum, quos maxime diligere deberent, intrepide et acriter reprehendat, sed statim ad Nos referat, ne tantae impietatis rei impuniti remaneant. Si Parochus autem ignave adhaerens iis iniquis sollicitationibus, audeat domi infirmi Sanctum Oleum servare, ut cum extremum agit spiritum, illum inungat, ipso facto a Divinis sciat esse suspensum.

Et ne aliquid in materia tanti momenti indictum remaneat, perpauca addimus :

Primum—Hoc Sacramentum non esse denegandum iis fidelibus, qui subita vi morbi oppressi, omni sensu destituuntur, nec dolorem de suis peccatis, nec Sacramenti desiderium significare possunt ; etenim, perspecta eorum fides non obscurum videtur esse desiderium. At minime administrandum est iis qui levi infirmitate laborant, infantibus qui adhuc ad rationis usum non pervenerint, et publicis obstinatis impoenitentibus.

Secundo — Parochum vel alium Sacerdotem ,

ipso legitime impedito, comitante saltem uno Clerico, superpelliceo et stola violacea indutum, Sacrum Oleum in bursa serica violacei coloris, collo appensum, graviter et modeste deferre infirmo, quem spiritualibus sublevet consolationibus, et ut ad Divinam Voluntatem se conformet, adhortetur. Pariter adstantes monere ut pro illo Deum ex intimo cordis affectu precentur, et Litanias Sanctorum recitare, ut in Rituali Romano.

CAPUT XV.

DE SACRAMENTO ORDINIS ET DE REQUISITIS ORDINANDORUM.

Ut Divina Mysteria Sacrosanctae Nostrae Religionis qua maiori veneratione et maiestate peragerentur, Christus Iesus Dominus Noster Sacramentum Ordinis, seu Ordinationis Ministrorum instituit, sine quibus aut omnino valide confici nequeunt, aut sicuti Baptismus, sine caerimoniarum cultu perficiuntur.

Cumque conscii simus quanta cura et diligentia huius Sacramenti administratio egeat, Nostrum esse credimus aliqua praescribere circa ordinandorum requisita.

Ante omnia: Qui ad Sacrum Ministerium existimaverint, se esse vocatos coram Nobis se sistant,

deferentes fides Baptismatis et de honestate morum a Parocho locali emissas ; certioresque Nos faciant non vi, aut parentum metu, nec alio terreno affectu impulsos ; sed ut melius Deo et Ecclesiae deservirent. Tumque eis dabitur facultas habitum clericalem deferendi.

Qui vero de Prima clericali Tonsura insigniri optant, sine ulla exceptione probare debent, devoto et assiduo Ecclesiae servitio per triennium vacasse ; Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentasse, Confirmationemque recepisse.

Similiter id requirimus a suscipientibus quatuor minores ordines, qui praeter obtestationes de probitate et honestate morum; coram Examinatoribus a Nobis deputatis specimen dare debent de sufficienti intelligentia latinae linguae et de Ecclesiasticis Censuris.

Ordinandi autem ad Hypodiaconatum 1. Exibere debent titulum Ordinationis, nempe si Beneficii simplicis Ecclesiastici, vel Sacri Patrimonii. Ab ordinandis ad titulum Beneficii requiritur Bulla Collationis et pacificae possessionis eius, et documenta de redditibus non minus quinquaginta ducatorum. Ab ordinandis vero ad titulum Sacri Patrimonii, cuius redditus ad normam ultimi Pontificii et Regii Concordati est ducatorum quinquaginta, est deferenda sententia homologationis. 2. Iuratis adtestationibus probare se esse in statu libero , ho-

nis honestisque imbutos moribus, ordines minores exercuisse, et saeculari militiae minime esse adscriptos.

Quod ad scientiam pertinet, apprime scire debent Tractatus Theologiae Moralis de actibus Humanis, de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Voto, de Horis Canonicis, et de Ordine Hypodiaconatus.

Ordinandi ad Diaconatum rationem reddituri sunt de Praeceptis Decalogi et Ecclesiae, de Iustitia et Iure, de Contractibus in genere et in specie, de Restitutione, et de iis pertinentibus ad ipsum Diaconatus Ordinem.

Demum qui Presbyteri ordinandi sunt conferant Tractatus de Sacramentis in genere et in specie, de Virtutibus, de Ordine Presbyteratus et de Rubricis Missae.

Praeter haec, omnes ad maiores Ordines promovendi examinandi sunt de Tractatibus Sacrae Theologiae Dogmaticae, quos iam didicerint in cursu Anni Scholastici.



CAPUT XVI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Antiquissimum coniugii foedus divinitus ab initio mundi institutum, a Christo Domino, in temporum plenitudine, Sacramenti dignitate decoratum fuit.

Ut igitur ex hoc Sacramento uberiores fructus assequantur, Parochi populum fidelem opportune edoceant qua puritate et integritate animi suscipiendum sit; insuper haec omnia servent quae eius administrationem praecedere debent.

Scilicet — A Parocho proprio contrahentium emittendas esse denunciationes a Sac. Conc. Trid. praescriptas, tribus continuis diebus festis inter Missarum solemnia cum populus frequentior aderit: quae denunciationes quavis ex causa, et si gravissima, absque Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis dispensatione, in scriptis data, haud omittantur vel minuantur. — Interim a contraentibus diligenter explorare si essentialia Doctrinae Christianae capita sciant, si eo anno Paschalis Communionis praecepto satisfecerint, et si sponte ac libere, nullisve parentum vel aliorum minis aut seductionibus coacti assentiantur contrahendis nuptiis: et cum mulieres edocendae sunt Fidei rudimenta, numquam id facere domi, sed in Ecclesia.

Si autem vel inter ipsas denunciationes, vel po-

stea impedimentum proponatur, etiamsi falsum ac dolosum probabiliter credatur, Parochi neque ad Matrimonii celebrationem, neque ad ulteriores denunciationes, Nobis vel Vicario Nostro Generali inconsultis, procedere praesumant.

His vero peractis, et reliquis quae de iure, obtenta insuper a Nostra Curia licentia, Sacramentum celebrent in Ecclesia Parochiali, mane, ad normam Tridentini, *Sess. XXIV. de Reform.*, et Ritualis Romani, coram saltem duobus testibus; statimque post matrimonium contractum, coniugum et testium nomina, locum, diem et annum integre et clare in matrimoniorum libro inscribant.

CAPUT XVII.

DE VITA ET MORIBUS CLERICORUM.

Clerici ita vocati vel quia Dominus pars illorum est, vel ipsi Domini pars sunt, ut D. Hieronymus, *Ep.* 2. *ad Nepot.* scripsit; sedulo igitur studere debent, ut abdicatis alienis, sortis suae curis vacent, et quae dignitati clericali officiunt, et aliis offendiculum esse possunt caute evitent. Quin ut caeteris fidelibus doctrinae lumine praeluceant, et exemplo aedificent, Scientiam Sanctorum studio Sacrarum Litterarum, Canonum, piorumque librorum sibi comparare curent; et ne vituperetur ministe-

rium nostrum, habitu, incessu, sermone et omnibus, nihil, nisi grave, modestum, et religione plenum, praesceferant. Ideoque stricte praecipimus ut omnes Clerici veste talari nigri coloris, et modestis fibulis utantur, non solum in Missae celebratione, aliisque sacris functionibus peragendis, sed etiam cum in publico se prodeunt; pileum deferant more romano sine flamine rubri vel violacei coloris, quo tantum utantur, qui hoc privilegium consecuti fuerint, Nobis exhibendum, caligas pariter nigri coloris, nisi aliter ex Apostolicae Sedis licentia. Omnibus etiam Sacerdotibus, nec Parochis exclusis et illis qui vocantur et sunt Capellani Chorales, praescribimus ut in Sacris peragendis induant se superpelliceo latis et amplis manicis, omnino prohibentes usum rocheti quod permissum est Canonicis tam de Numero, quam extra numerum huius Cathedralis Ecclesiae, et Canonicis tantum Collegiatarum Ecclesiarum Martirani et Sciliani Diani, qui hoc privilegium a S. Sede consecuti sunt, sub poena suspensionis et aliis Arbitrio Nostro. Parochi vero et quatuor Capellani S. Mariae Gratiarum, vulgo de Visora Terrae Conflentorum deferant uno eodemque colore violaceo almutias; quique aliter habeant, infra dies sexaginta debito modo de hoc sibi consulant.

Cum in Ecclesiis Collegiatis et Cleralibus celebrabitur Sacrum Novendiale Nativitatis D. N. I. C. Sacrae Pentecosten, et Sancti Titularis Patroni

principalis Ecclesiae; cunctis pariter diebus infra Octavam Corporis Christi, sextis in Feriis Sacratissimae Quadragesimae, et semper ac sollemniter exponitur Sanctissima Eucharistia, Canonici, Presbyterique omnes in habitu Chorali adesse debent, sub poena decem assium pro qualibet vice non interfuerint; et Cathedrali in Ecclesia atque in Collegialibus a Canonicis praedictae functiones per turnum fiant, in praeferentia Parochi; dummodo non erit privilegium aliquod contra.

Prohibemus demum omnibus Clericis ludum alearum et chartarum lusoriarum, aliosque quocumque nomine vocentur, quibus animi ludentium a Divinis avocantur, et tempus inutilissime teritur, sub poena suspensionis. A venatione quoque omnino caveant, memores animum Clericorum a sanguine et caede etiam animalium alienum esse: et si aliquis permissum consequutus fuerit sclopetum domi tenere, nullatenus audeat illum deferre per vias. Edendi et bibendi caussa tabernas et cauponas non ingrediantur, nisi longi itineris necessitate compulsi. Ab omni crapula, et maxime a turpi ebrietate diligenter se abstineant; immo et vino in quo est luxuria temperate utantur. Saecularibus negotiis, utpote Deo militantes, ne se immisceant, quae a spiritualibus mentem retrahunt; ideoque omne genus mercaturae neque per se, neque per alios exerceant, aut alia praedia conducant.

CAPUT XVIII.

DE CONFERENTIA CASUUM MORALIUM.

Quoniam omni quo possumus studio et sollicitudine est Nobis consulendum scientiae qua Ecclesiastici pollere debent; Conferentiam Casuum Moralium, quam in hac Dioecesi penitus intermissam videmus, licet multoties in S. Visitationis Decretis ordinata et praescripta fuerit, in usum revocamus. Idcirco hoc Decreto sancimus ut Parochi et Confessarii omnes, bis in mense, determinata die, quae feriata sit, in Sacristiam omnium Ecclesiarum, hora competenti, conveniant: ibique tres casus morales, de certa materia, a Praefecto conferentiae in scriptis propositi, modeste, sine contentione discutiantur. De dictis tribus, unus sit alternatim de rubricis Missalis et Breviarii. Iisdem conventibus praescribimus etiam interesse Canonicos et reliquos Sacerdotes, ac etiam Clericos, atque Sacerdotes Regulares quorum in Conventibus huiusmodi Conferentia non adsit; namque in posterum nemini facultatem Sacramentales excipiendi Confessiones impertiemur, nisi fidem exhibuerit Praefecti Conferentiae eam frequentasse: nec Pagella Confessariorum prorogabitur, si eius in calce deerit particula: *interfuit* a praedicto Praefecto apposita. Iste

libro ad hoc comparato, quem quolibet mense Nobis transmittat, accurate describat casus propositos cum eorum explicatione.

CAPUT XIX.

DE CAPITULO CATHEDRALIS, DIGNITATIBUS, CANONICIS ET CAPELLANIS CHORALIBUS, VEL MANSIONARIIS.

Principalis Clerus Nostrae Dioecesis est Canonicorum Collegium huius Sanctae Cathedralis Ecclesiae, quod iure merito Capitulum nuncupatur, quia unum corpus cum Episcopo, qui caput eius est, componit: et viginti Canonicis constat, quorum septem Dignitatis nomine decorantur, et sunt:

I. Decanus.

II. Archidiaconus, cui addicta est cura animarum Parochiae S. Theodori Martyris.

III. Cantor.

IV. Thesaurarius.

V. Capellanus Maior cum cura animarum Parochiae dictae de Cathedrali.

VI. Poenitentiarius.

VII. Primicerius, cum Prebenda Theologali.

Reliqui tredecim dicuntur de numero, praeter alios tres qui sunt extra numerum, non habentes

vocem in Capitulo, nec de Mensa Capitulari participantes: scilicet alter sub titulo S. Ioannis de Cultura, Regii Patronatus; alter S. Catharinae, Iuris Patronatus familiae Pirelli; et tertius de Mansionaria, dictus Collationis Episcopi. Quibus inest onus adesse Dignitatibus pro Episcopo celebraturis iuxta eorum fundationem anni 1732.

Praeterea praefatae Ecclesiae servitio addicti sunt duodecim Capellani Chorales dicti de Sanctissimo Crucifixo.

Ii omnes Canonici et Capellani sciant omnia et singula de vita, moribus et honestate Clericorum ad ipsos potissimum spectare; quippe qui in altiorem honoris et dignitatis gradum assumpti, integritate et sanctimonia vitae reliquis anteire et praelucere tenentur.

Praecipua Canonicorum obligatio, est Choro adesse vel quotidie, vel per Hebdomadas: ibique per se et non per substitutos, distinctis horarum intervallis, rite Officia persolvere, Psalmis Hymnis et Canticis reverenter, distincte et devote, voce concordi, pausa in medium versiculi interposita, nomen Dei et Sanctorum collaudare, et in unum idemque simul conspirare.

Quapropter post datum signum per campanae sonitum, horis tabella statutis, Canonici et Capellani in Sacrarium conveniant, veste talari, habitu chorali induti, capite birreto cooperto, bini bini,

modeste incedentes, ad Chorum progrediantur. Ibique unusquisque, occupato loco sibi conveniente, et Divino Auxilio invocato, Hebdomadario vel alio, cui de iure, praecinente, Officium incipiant, mente in Deum elevata, prosequentes monita Divi Augustini: *Si orat psalmus, orate; si gemit, gemite; si sperat, sperate; et si timet, timete.*

Et quoniam pars Divini Officii est Missa Conventualis, quotidie cum cantu pro populo et benefactoribus celebranda, praescribimus ut post Tertiam de Horis Canonicis celebretur, et diebus festis cum Diaconi et Hypodiaconi et minorum Clericorum ministerio. Et nemini liceat e Choro discedere dum Divinum recitatur Officium, et S. Missae Sacrificium celebratur, nisi necessitas urgeat, et petita venia ab eo qui Choro praeest.

Si vero eveniat ut duae vel etiam tres Missae eodem die iuxta Rubricas celebrandae erunt, ut in Vigiliis et diebus feriatis de Quadragesima, quacumque ex causa non omittantur; sed Missa pro Sancto post Tertiam, et pro Feria post Nonam celebrabitur: Vesperae denique ante prandium.

Sciant praeterea omnes Canonici ad residentiam teneri; idcirco eos monemus, ut assidue apud easdem commorentur, scientes in absentes Nos, pro absentiae modo, ad formam Sacrorum Canonum et Concilii Trid. processuros.

Demum cum aliquando consulendum est admini-

strationi, revindicationi, manutentioni bonorum Ecclesiae, Decanus, vel eo impedito, alia Dignitas subsequens, Procurator de re administrativa, omnis denique Canonicorum, si res postulat, per schedulam tribus ante diebus Sacristiae affigendam, materia convocationis proposita et explicata, Capitulum coadunare possunt et debent; et omnes participantes, sub poena multae assium viginti interveniendi sunt, ut collatis consiliis omnia recte procedant.

Quaestiones vero, clausis ianuis, suffragiis absolutis vel relativis, segretis vel manifestis prout requiritur, sed semper scriptis perpendantur. Scribantur quoque discussiones et colloquia; proinde duo componantur libri, quibus distincte et integre omnia disponantur: alter scilicet ab Administratore, et alter in Archivio custodiendus.

Item aut Sacristiae aut alio decenti loco Archivium Capitulare servetur, ubi praeter dictum librum, documenta quoque, constitutiones, syngraphae, libri rationum accepti et expensi, aliaque omnia ad Capitulum spectantia custodiantur. Ideoque sub poena suspensionis ipso facto incurrenda a Clericis, et excomunicationis Nobis reservatae a Laicis, iubemus cunctis ac singulis documentum aliquod habentibus quod Capituli sit, illud ad dictum locum deferre, coram Administratore et Segretario, ad quem pertinet de omnibus indicem componere Nobis tradendum.

Sint dicto Archivio tres claves, altera a Decano, ab Administratore altera, et tertia a Segretario custodienda, et semper ac aliquis Canonicorum aliquid legere voluerit coram eis id faciat, nec, ipsis insciis, aliquid extrahat, deferatque domum.

Capellani Chorales qui unum corpus cum Capitulo efficiunt vicissim tenentur interesse tum in recitatione Horarum Canonicarum in Choro tum in celebratione Missae Conventualis, tum in caeteris Capituli functionibus. In Missis vero solemnibus quae Dominicis in diebus celebrantur, aliisque solemnitatibus, exceptis Pontificalibus, pariterque in funeribus, Hypodiaconi, Diaconique ministerium praestandi erunt duo in his Ordinibus constituti, qui semper erunt duo ultimi promoti de Hebdomada. Qui si desint ex iusto et rationabili impedimento legitime probato, vacent puncto, et eis succedant immediate anteriores; si autem quocumque praetextu renuant assistere, mulctentur assibus viginti, quos Procurator eorum de rata reddituum solvet illis qui vices eorum functi sunt.

Omnibus demum qualibet Feria VI, postquam in altari Sanctissimi Crucifixi Canonici de Hebdomada cantaverint Litanias, Coronula consueta quinque Vulnerum D. N. I. C. est recitanda.

Quidquid dictum est de Capitulo Cathedralis, valere debet pro omnibus Collegiatis.

CAPUT XX.

DE PUNCTATORIBUS.

In omnibus Ecclesiis, Cathedrali, Collegiatis et Choralibus, iuxta S. Concil. Tridentinum eligendi sunt duo Canonici vel Presbyteri, alter nempe ab Episcopo, alter a Capitulo vel Clero, qui Punctatores dicuntur. Horum officium et munus erit, accurate notandi quotquot Choro, aliisque sacris functionibus, et quibus nominatim diebus, et qua officii parte defuerint sine personarum acceptione; iis tantum exceptis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis causa, necessitas vel evidens utilitas Ecclesiae excusaret. Ut autem hoc munus fideliter exerceatur, iuramentum in manibus Nostris vel alius a Nobis destinati praestandi erunt. Liber punctorum in qualibet ultima Dominica mensis Capitulo et Clero ostendatur, si forte multati aliquid habeant contra dicere; vel iustam adducere excusationem quominus multentur.

CAPUT XXI.

DE OFFICIO PAROCHORUM EORUMQUE QUIBUS CURA ANIMARUM COMMISSA EST, QUOCUMQUE NOMINE VOCENTUR.

Etsi de eis, quae ad Sacramentorum administrationem pertinent, non pauca commemorata sint, quae Rectores animarum respiciunt; non satis tamen Muneri Nostro factum existimamus, nisi alia de istorum gravissimo ministerio adiungamus.

Memores igitur sint Parochi ut sic Christi gregem tam verbo doctrinae, quam operum exemplo pascant, ut Mysteriorum Dei fideles dispensatores reperiantur. Quocirca omnibus Dominicis diebus et Festis solemnibus, per se, vel si legitime impediti fuerint, per alium idoneum Sacerdotem, plebi sibi commissae, inter Missarum solemnia, breviter, facilitate sermonis, Sanctum exponant Evangelium; docentes quae omnibus sunt scitu necessaria; quae vitia declinanda, et quas sectandas virtutes, ad vitam consequendam aeternam. Iisdem diebus festis, adhibitis etiam Clericis Parochiae in coadiutoribus, pueros rudimenta Fidei patienter edoceant; atque ut in omnibus doctrinae conformitas appareat, sequantur instituta admodum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Caroli M. Rosini Episcopi Puteolorum, iuxta quae, ne aliter fiat, erunt pueri examinandi.

Inefficax autem erit ac pene inutilis talis praedicatio Divini Verbi, nisi precibus et exemplo communiatur. Quapropter Parochi omnibus diebus festis, Missam pro populo celebraturi sunt, et quotidie pro eo precaturi, divinum auxilium implorando, ad christiane vivendum.

Quanta diligenti cura infirmis et in extremo vitae discrimine constitutis assistere debent, eisque omnia debita pietatis officia conferre, alibi monuimus; quare nihil aliud addendum credimus. Verum ut haec omnia adimplere possint in Ecclesiis, quas regunt, est assidue eis residendum, nec quacumque ex caussa discedendum sine Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia in scriptis data: qui secus fecerint, praeter mortalis culpae reatum, in poenas Nostro Arbitrio infligendas incurrent.

Residentes autem dicuntur non qui domi tantum inter fines Paroeciae habitent, sed qui gregi attendentes, in omnibus laborent et vigilent, inquirentes si in ea perditi homines degant, scilicet concubinarii et blasphemi publici, sacrilegi, morum corruptores, aliique similes, ut eos omni patientia et caritate ad bonam frugem reducere studeant. Si vero, paternis adhibitis modis, nihil profecisse noverint, Nobis contumaces renuncient, pariterque illos qui Praecepto Paschali satisfacere neglexerunt, quorum nomina in libro ad hoc composito propria

manu Parochi inscribant. Viduarum denique et virginum egestate laborantium, aliorumque miserabilium curam paternam gerant; ipsisque pro viribus consulant, et suo exemplo et exhortatione alios ad haec pietatis officia invitent.

Statim quoque post Feriam V. in Coena Domini Sacra Olea sibi comparare curent, et neminem ad illa deferenda mittere, qui Sacerdos non fuerit, aut saltem Clericus cum decenti capsula firmis seris clausa, ac mundis vasculis. Proinde Capellano Maiori Nostrae Cathedralis Ecclesiae mandamus eos qui huic praecepto contradixerint fideliter notare, ut poenis Nostro Arbitrio imponendis puniemus. Praedicta Olea vero decenti Armario intus panno serico violacei coloris revestito, ostiolo ex ligno semper clauso serventur, in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris Maioris, aut alius in quo adsit SS. Eucharistia ut lumine lampadis participent; et foris, litteris maiuscolis, haec verba legantur: Sacra Olea. Pariter in alio loco Ecclesiae bene extructo, seris quoque clauso, quorum clavis penes eos sit, Parochi libros custodiant, quibus clare et integre inscripta sunt nomina Baptizatorum, Confirmatorum, eorumque qui se nupserint; aliosque etiam quibus notanda sunt nomina eorum qui sponsalia contrahaxerint: sub poena suspensionis si secus fecerint.

Pro stipendio suorum iurium est Parochis fideliter observanda taxa Innocentiana, cui etiam Nostra Curia se accomodare tenetur.

Dissentiones demum quae in occasione processionum aliarumque sacrarum functionum oriri solent inter ipsos et Priores Confraternitatum laicalium eorumque Patres Spirituales decidantur iuxta Decreta Sacrae Rituum Congregationis sub die 10 Decembris 1840.

Quoniam vero in hac Nostra Dioecesi inveniantur Ecclesiae, quibus duo Parochi ad curam animarum gerendam instituti sunt, et aequali iure Sacramenta administrent; ideoque ad discordiam tollendam, negligentiaeque causam, quantum in Domino possumus hortamur, ut fraternitatis amore se invicem diligentes, communi studio et Dei gloriam, et salutem animarum coniuncti promoveant; nec alter in alterum Parochiale onus iniiciat, memores curam unam esse, et in commune eius partes tenendas.

De Coadiutoribus seu Œconomis aliquid praescribere, praeterire nequimus: propterea statuimus Parochos, qui pro numero animarum coadiutore indigeant, Nobis Sacerdotem idoneum proponere et adprobatum, eis, si in Domino videbitur, dandum. Nec tamen a lege residentiae, se solutos esse credant, nec ab aliis Parochialibus officiis immunes existiment, omne onus pascendi gregis coadiutori-

bus imponentes, solliciti tantummodo de temporalibus proventibus, et divinis humana praeferentes; etenim talem desidiam, damnabilemque negligentiam non solum summopere reprobamus, sed opportunis animadversionibus puniemus.

CAPUT XXII.

DE FUNERIBUS ET SEPULTURIS.

Inter praecipua caritatis opera, pia erga mortuos fideles officia reponuntur; ideoque sacrae caerimoniae, preces et ritus, quibus ex antiquissima traditione, Summorumque Pontificum institutis pia Mater Ecclesia in filiorum suorum funeribus uti solet, summo studio sunt Parochis servandi.

Cum igitur aliquis in communione S. Matris Ecclesiae decesserit, Parochus monitus, statim ad hoc Sanctum et salutare officium se praestet. Si vero Clerici sive Regulares, sive Saeculares, nec non piarum Sodalitatum Confratres ad funeralia intervenire debent; in Ecclesiam Parochialem cuius intra fines defunctus existit, conveniant: inde suo ordine, in silentio, gravi incessu, bini, praesente Parocho qui solus stolam deferat, ad domum defuncti procedant; et eodem ordine, devote recitantes solitos psalmos, recto tramite ac breviori via cadavera associent usque ad Ecclesiam, ubi precationes

et caerimonias, iuxta Rituale Romanum, rite persolvant, et ea, etiam cum in funebris pegmatibus sunt ponenda, contra altare non vero contra populum exponi curent, cum id sit tantum Sacerdotum cadaveribus permissum. Nullatenus interea permittant perturbari clamoribus etiam consanguineorum, praesertim mulierum, quem morem omnino proscribimus et damnamus: iniungentes Parochis ut se a Missae celebratione aliisque functionibus abstineant, usque donec istae siluerint, sub poena suspensionis. Superioribus vero Ecclesiarum Regularium etiam sit cura talem detestabilem abusum modo quo praescriptum est Parochis eliminare, sub poena Arbitrio nostro taxanda.

Ne autem venalis dicatur Ecclesia, et Sacerdotes Dei de alterius luctu gratulentur, sub poenis a Nobis imponendis prohibemus aliquid pacisci et petere in funeribus ducendis, praeter id quod a taxa Innocentiana statutum est: ac de eo, praelevatis tantum assibus viginti quinque ad Parochum spectantibus iure stolae, et assibus triginta si Missam cum cantu celebraverit, reliquum, aequis partibus inter Sacerdotes praesentes dividatur; nam sicut omnes officiis piisque precibus interfuerint, ita et aequaliter sunt de proventibus participaturi. De Capellanis Choralibus Ecclesiae Cathedralis, et Collegiatae Martiranen servetur solitum. Si vero evenerit ut cadaver in publico Oratorio Congrega-

tionis laicalis aut in qualibet alia Ecclesia sit tumulandum, Missa a Parocho est celebranda etiamsi Capitulum vel Collegiata interfuerit; et eo absente vel nolente, ab eo qui vicem eius gerit. Miserabilium autem cadavera gratis sepeliantur, in Ecclesiam domui defuncti proximiorem ea deferendo, et Parochi iniquum inhumanumque credant sub praetextu non solutae funeralis eleemosynae sepulturam denegare aut differre. Omnibus quoque Confraternitatibus sub poena interdicti praescribimus ne huic tam pio officio deesse velint.

Caveant demum Parochi cadavera fidelium defunctorum sepulturae tradere nisi elapsis XXIV horis ab illa decessus, simulque Ecclesiasticae sepulturae honorem tribuere illis, quibus ex Pontificum Constitutionibus interdicitur, ut sunt haeretici, publici excommunicati, interdicti, mortui in duello, qui sibi ex desperatione mortem consciverint, publici concubinarii, et qui praecepto paschali non satisfecerint, nullo contritionis signo dato, et in peccato publico et manifesto ex hac vita decesserint.

Nova sepulchra in Ecclesiis extruere absque Nostra vel Vicarii Nostri licentia nemini liceat sub poena interdicti: neque ulla supra pavimentum Ecclesiae vel sub Altari, aut cum nimis prope aedificentur. Quae vero existunt, integro lapide operiantur, ut nullus inde foetor egredi possit qui orantibus molestiam afferat.

Demum omnino interdicimus, occasione funerum solitas fieri ostentationes nummorum in Ecclesiae atriis, sed tantum Sacristiae manere permittimus qui expensas debitas soluturus est.

CAPUT XXIII.

DE PROCESSIONIBUS.

Pius usus processionum atque litaniarum, quem ab ipso suo initio S. Mater Ecclesia Catholica instituit, adhuc retinetur. Quapropter ne tam opportunus colendi modus et Deum placandi, Sanctosque honorandi in hac Dioecesi vanitate dedecoretur et potius scandalum quam pietatem foveat, praecipimus nullas celebrari processiones absque Nostra vel Vicarii Nostri Generalis licentia in scriptis data: exceptis illis de Litaniis Maioribus et Rogationibus ac de solemnitate Sacratissimi Corporis Christi: quibus omnes Clerici sive Regulares, sive Saeculares, ac etiam Sodales Confraternitatum sacco induti interfuturi sint. Omnes isti, signo, campanarum sonitu, dato, in Ecclesiam maiorem conveniant, et inde ordinatim procedant modestia, gravitate ac pietatis exemplo; alternatim Psalmos, Hymnos, aut Litanias concinentes, aequis passibus et lento magis, per solitas vias incedentes.

*

CAPUT XXIV.

DE SANCTIFICATIONE DIERUM FESTORUM.

Praeceptum Domini est: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*. Huic diei ab Apostolorum temporibus substituta fuit prima Hebdomadae dies, quae Dominica vocatur. Haec igitur a Christi fidelibus est pro Sabbato sanctificanda: tota scilicet cultui divino, animarumque suarum sanctificationi addicenda: cui satisfecerint, si Sacramenta frequentaverint, si Divinis Officiis, Divinique Verbi praedicationi intervenerint, et Sacrosancto Missae Sacrificio, quod etiam ex Ecclesiae praecepto debetur, devote et reverenter aderint: quae omnia nullo modo possunt adimplere, nisi ab operibus servilibus se omnino abstineant: praecipue a nundinis et mercatibus qui maxime a bonis distrahunt operibus, et aliquibus in locis sunt abusive introducti, praesertim infeliciter in hac Civitate; unde dies Dominica hic est vere dies luctus, cum sit Ecclesia derelicta, viaeque ementibus vendentibusque plenae. At quomodo huic tam gravi inconvenienti occurrendum? Orantes et deprecantes Auctoritates Civiles ut ad normam Regalium Dispositionum duabus horis ante meridiem efficaciter vi atque metu eiiciant a plateis vendentes et ementes, ut postea, saltem in parte possint vacare sanctificationi diei festi.

CAPUT XXV.

DE CLERICIS INSERVIENTIBUS ECCLESIIS.

Ecclesiarum custodia, rerum sacrarum cultus et reverentia maxime postulat cuilibet Ecclesiae aliquos addici qui ei deserviant. Ecclesiae Cathedrali, Collegiatis et Cleralibus omnino adesse debet Presbyter qui Sacrista Maior nuncupatur, cuius partes sunt custodiam, nitorem ac munditiem ipsius Ecclesiae, sacrorum vasorum, vestium Ecclesiasticarum, ac totius sacrae suppellectilis curare: vinum, hostias, caeteraque officiorum administrationi necessaria sedulo praeparare; Altaria pro temporum ac solemnitatum ratione decenter ornare: numquam permittere laicos Sacristiam intrare nisi ob necessitatem, dummodo modeste et in silentio stent, et non sedeant: neminem Sacerdotem alienae Dioecesis S. Missae Sacrificium celebrare, nisi licentiam exhibuerit a Nobis in scripto datam; aut, in Ecclesiis extra Civitatem, a propriis Parochis, quibus demonstranda est Discessorialis sui Ordinarii, modo Sacerdos non fuerit ab ipsis personaliter cognitus.

Cum vero ex deficientia Clericorum minorum, necesse fuerit materiali Ecclesiae servitio laicum aliquem addicere, eligatur pius, honestus, devotus, de probata fide, qui Sacramenta Poenitentiae et

Eucharistiae frequentet; cuius officium erit, Sacristae Maioris nutu, tempore congruo iuxta horarium, campanas ad horas canonicas, Missam, vesperas, conciones, processiones, aliasque sacras functiones populo significandas pulsare, et Ecclesiam mundare.

Omnino isti prohibemus Sacra Vasa Domini contrectare, et quod maxime dedecet, ministrare Altari; numquam permittere aliquem in Ecclesia dormiendo pernoctare, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda ab iis qui in Ecclesia dormierint, et suspensionis a Divinis a Sacrista Maiori, et excommunicationis a Sacrista laico incurrenda.

Parochi curent ut Decretum hoc adamussim servetur.

CAPUT XXVI.

DE BONIS ECCLESIARUM, PIORUMQUE LOCORUM.

Quidquid Ecclesiasticis, sacrisque usibus dicatum est, Christi patrimonium est censendum, ideoque summa religione servandum, manutenendum, ac diligenter fideliterque administrandum. Quapropter Rectores, Administratoresque Ecclesiarum piorumque locorum ante omnia curabunt intra duos menses syllabum componere de Beneficiis aliisque piis legatis in finibus suae iurisdictionis existentibus,

quem Nobis exhibeant, pariter exponentes si provisa fuerint nec non. Bona quoque immobilia et mobilia praetiosa vendere, alienare vel quocumque modo obligare: etiam clausola: *Servato Beneplacito Apostolico,* nisi vere et reapse tale Beneplacitum prius accesserit, sub poena a Sacris Canonibus imposita, nullatenus praesumant: nec arbores in praediis Ecclesiae extantes caedere sine Nostra, vel Vicarii Nostri Generalis licentia danda postquam constiterit caducas et omnino inhabiles esse, propositis poenis Nostro Arbitrio infligendis, praeter illas Sacrorum Canonum. Loco autem recisarum alias plantare tenentur.

Bona immobilia, ultra triennium, aut ad summum quatriennium, si de novalibus agitur, locare nequeunt, nec anticipatis solutionibus, excludentes vero limitantes, ne suos proferendi limites eis occasio praebeatur.

Administratio autem reddituum tam Ecclesiae Cathedralis, quam Collegiatarum aut Choralium uni de participantibus committatur, qui suffragiis segretis eligatur, cuius erit munus fideliter diligenterque incumbere exactioni earum reddituum, nec syngraphas, expensas, vel aliud facere, quin id tribus ante diebus in scriptu proposuerit Capitulo, scriptisque suffragiis veniam acceperit: aliter omnia pro nihilo ducuntur, ac etiam damno et detrimento suo Capitulum sartum tectum de omnibus ser-

varc tenetur. Erit quoque illi curae haud authenticum legitimumque habere quidquid non fuerit in Capitulari Conventu discussum et adprobatum, vel a Canonicis non in unum congregatis subscriptum. In fine autem anni rationes reddat de exacto et expenso, quae a duobus rationalibus, etiam secretis suffragiis electis, diligenter discutiantur, ut si quid contra statutum reperiatur, aut Capitulo noxium, aut praeter eius consensum, a dicto Administratore solvatur; qui nisi aliter se excusare poterit, aliumque iudicium a Curia, vel a toto Capitulo, legitime convocato ac congregato, intra duos menses a die rationis reddituum, obtinere; novus Administrator de eius redditibus, quidquid Capitulo debeatur, retineat.

CONCLUSIO



Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui praesentissimo auxilio gratiae suae, sic humilitatem et infirmitatem nostram suffulsit, ut opus hoc ad suam gloriam susceptum, tandem conficeremus. Et breves quidem constitutiones, a Divino et Canonico Iure haustas, ad nostros mores componendos, disciplinam ecclesiasticam labentem erigendam, vigentem confirmandam, in simplicita-

te sermonis edidimus, et Episcopali Auctoritate Nostra sancivimus. Has, Fratres et Filii in Domino, vobis porrigimus, et servandas proponimus. Et sicut cura et sollicitudo nostra in his condendis intenta fuit ut oves, Nobis a Christo Domino concreditas, immunes ab omni labe peccati, Ei reddamus; ita et vos, lubenti animo, eas excipite, et virtutis amore, non formidine poenae, docilitate, qua praediti estis, eis morem gerite. Attente, dilectissimi, retinete professionem Nostrae Sanctae Catholicae Fidei, quam modo et sollemniter emisistis, et satagite eam sanctis et bonis operibus comprobare, quae ab omnibus videantur. Nam non sufficit nobis bonos nos esse et immaculatos coram Deo, sed fratrum nostrorum aeternae saluti est quoque Nobis consulendum; his praesertim temporibus, quae infeliciter nacti sumus, cum non solum et fides refrixit, et caritas pene in omnium cordibus mortua est; sed undique nostra Sancta Religio appetitur, foris impiis et falsis doctrinis, et sedicentium philosophorum sophismatibus: intus scandalis perversisque moribus eorumdem ipsorum, qui fideles credi volunt. Eia igitur, Fratres, Filiique dilectissimi, nequaquam minime dolentes spectatores simus tot flagitiorum; immo Nos custodes domus Dei, et Dei ut vocemus coadiutores, collatis viribus, surgamus ad pugnandum praelium Domini, armis nobis porrectis, verbo, exemplo, precibus. Et nisi sunt omnes Prophe-

tae, qui iustitias Dei narrare valeant; omnibus datum quidem uti exemplo, quod in suo silentio efficacius est quolibet elaborato sermone ad vitia corrigenda et divinum sanctumque Dei timorem et amorem inspirandum. Omnes possumus assiduis devotisque precibus ab Omnipotenti ac misericordiosissimo Deo Nostro impetrare lumen coecis, peccatoribus emendationem vitae, constantiam poenitentibus, iustis sanctam perseverantiam, omnibusque fidem, caritatem, modestiam. Pugnemus igitur his armis, et Deus dabit vires ut de hostibus infestissimis Christiani nominis, diabulo et mundo victoriam reportemus, quam consequitur corona iustitiae bonum certamen certantibus, promissa a Domino Nostro Iesu Christo, cui honor, gloria et laus cum Patre et Spiritu Sancto.

Nos Fr. Hyacinthus Maria Episcopus Neocastren ita decrevimus.

Petrus Canonicus Ardito a Secretis Synodi.

DIOECCESANAE NEOCASTREN SYNODI

DE SOLEMNI ACCEPTIONE INSTRUMENTUM.

In Dei nomine Amen.

Anno salutis MDCCCLVIII. die vero VIII. mensis Decembris Beatae Mariae Virgini sine labe Conceptae dicata; Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi Nostri Anno V; Pio Papa IX feliciter Regnante, in hac Civitate Neocastren Nostraque Cathedrali Ecclesia sub titulo SS. Apostolorum Petri et Pauli, coram omnibus, atque apertis ianuis.

Omnia in hac prima Dioeccsana Synodo Decreta atque Constitutiones hactenus per Ad. Rev. D. Petrum Ardito huius Sanctae Cathedralis Ecclesiae Canonicum, ipsius Synodi a Secretis clara, notabilique voce, e Sacro Suggestu palam prolata fuerunt, praesidente Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Fr. Hyacintho Maria Barberi, praesentibusque, utpote eiusmet Senatu, Ad. Reverendis Dignitatibus, Canonicis atque Capellanis Choralibus huius Cathedralis Ecclesiae; nec non Reverendis Dignitatibus, et Canonicis Procuratoribus insignis

Collegiatae Martiranensis Ecclesiae, ac Diani Sciliani; universisque Archipresbyteris, atque Parochis, animarumque Rectoribus, ac Vicariis Foraneis totius Dioecesis; itidemque Regularium Praedicatorum, Reformatorum, Capuccinorum civitatis huius, Minimorumque Sancti Blasii Superioribus accitis, mane, hora XV usque ad horam XX, atque universa haec ab omnibus legitime convocatis et dimissis audita fuere, ac absque ulla discrepatione, sed una voce et per verbum *Placet* ut de more, adprobata.

In quorum fidem Ego Episcopi Notarius hic subscriptus, instante Synodali Promotore Ad. Reverendo Archidiacono D. Luca Antonio Cianflone, adhibitisque pro testibus hic subscriptis Civitatis huius notabilibus D. Francisco Parisio, D. Iosepho Pisano, D. Gherardo Mazzei, de omnibus anteactis rite adprobatis publicum hoc Instrumentum rogatus, confeci, mea manu subscriptum, ac Sigillo Episcopali signavi.

Felix Canon. Bevilacqua Cancellarius Episcopi
Franciscus Parisio testis
Ioseph Pisani testis
Gherardus Mazzei testis.

APPENDICE



Copia del piano delle tariffe da osservarsi per l'esazione dei diritti, tanto dagli Ordinarii del Regno e delle loro Curie, quanto dai Parrochi riguardo a quelli di stota bianca e nera, approvato da Sua Maestà con real dispaccio dei 26 Decembre 1791.

Articolo 1.°

Il quale riguarda la dichiarazione della tassa Innocenziana rispetto agli Ordinarii, ed alle Curie Ecclesiastiche.

1. Che nè il Vescovo o altro Prelato, nè il suo Vicario generale o foraneo, cancelliere ed uffiziale qualsivoglia, congiunti, familiari o servitori possano esigere o ricevere emolumento, o cosa alcuna sotto qualsivoglia colore o pretesto di atti per la giurisdizione dei requisiti, ovvero di tovaglia, forbici, pettine ed altro dagli Ordinandi, nè sotto titolo di regalo o mancia, ancorchè spontaneamente si offerisse, e volesse darsi: ma soltanto l'Ordinante possa ricevere l'oblazione della Candela a libero arbitrio dell'ordinato circa la qualità del peso.

2. Che il Cancelliere per le lettere testimoniali

della collazione dell'ordine già dato, ovvero per le lettere dimissoriali per la collazione da farsene da altro Vescovo possa ricevere solamente la decima parte di uno scudo romano, o sia un Giulio, il quale per sicura norma, secondo l'equivalente della moneta di Regno, non debba oltrepassare le grana tredici, esclusi da tale esazione quei Religiosi, che sono veri questuanti, ai quali è interdetto l'uso del danaro.

3. Che il Cancelliere medesimo nella collazione del Suddiaconato per gli atti che si debbono fare per la giustificazione della verità, e sufficienza del patrimonio, o del beneficio, a titolo del quale si dovrà taluno promuovere, possa soltanto esigere quello emolumento che sia proporzionato alla mera fatica per la scrittura e carta, senza che il Vescovo o Vicario o altro Uffiziale, nè direttamente, nè indirettamente, ne possano partecipare. Il quale emolumento non debba mai eccedere uno scudo, o sia secondo la sicura ed ordinaria norma, i carlini tredici, ed esigendo la fatica una minor mercede, debbasi esigere soltanto quel meno, senza che per gli altri ordini, o prima tonsura si esigga cosa alcuna, anche sotto pretesto di registratura, di brevi e dispense, e di altre scritture o di presentata, o di qualunque altra giustificazione e solennità o rimozione d'impedimento.

4. Che se le suddette lettere testimoniali ovvero

dimissoriali contengano più ordini non debba esigersi altra mercede che la suddetta di carlini tredici, la quale non possa moltiplicarsi a ragione di ciascun ordine. Non sia però tenuto il Cancelliere a fare una sola scrittura per più ordini, quando questi *servatis servandis*, venissero a conferirsi in diversi tempi e in diverse ordinazioni; ma, volendo, possa farle separatamente, non già rispetto a quegli ordini, che si conferissero in un istesso giorno, come sono i Minori, nei quali dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali, che si diano per la promozione a più Ordini, parimenti non si possono moltiplicare scritture.

5. Che dal Cancelliere non si possa esigere cosa alcuna per lo rogito della collazione degli ordini, o sia per l'atto di esservi taluno ammesso, o per l'accesso al luogo dell'ordinazione, anche col pretesto di mancia, o di regalo.

6. Che nella collazione di benefizii residenziali di natura ecclesiastica non possa il Vescovo, o altro Ordinario collatore, il Vicario, il Cancelliere, o qualsivoglia altro uffiziale, i loro parenti, familiari, o servitori, esigere o ricevere emolumento alcuno, o altra cosa sotto qualsivoglia colore o pretesto, anche di mancia, o volontario donativo; ma soltanto il Cancelliere per le lettere della Collazione, compresa carta, sigillo ed ogni altra cosa, possa esigere la mercede proporzionata alla scrittura, e

materie, non eccedente però la suddetta somma di carlini tredici senza esigere altro, e particolarmente per l'approvazione e preelezione nel concorso.

7. Che in quanto al possesso il Prelato e suo Vicario o altro Uffiziale non possa esigere cosa alcuna, e il Cancelliere, se sarà dentro la Città possa per il rogito, o sia atto del possesso ed ogni altro che occorre, esigere i Giulii tre, o sia secondo il detto equivalente in moneta di regno grana trentanove. Nei borghi poi Giulii quattro, o siano grana cinquantadue, e se in altro luogo possa esigere la stessa somma al giorno, e le spese di vitto e viatico. Quantevolte però nel luogo del beneficio siavi alcun Regio Notaio, si debba la Curia assolutamente di colui valere per l'atto del possesso, senza esservi necessità del suo Cancelliere.

8. Che nei suddetti beneficii residenziali di qualità ecclesiastica non possa l'Ordinario o per lettere testimoniali dell'approvazione e preelezione nel Concorso, o per l'attestazioni sopra la vita, costume, idoneità dei concorrenti, esigere e ricevere mercede ed emolumeuto alcuno in danaio, o in altre cose, sotto qualsivoglia pretesto o colore, anche di spontaneo donativo.

9. Che per l'esecuzione delle Bolle, che si lasciano correre dalla Dataria, mercè la precedente Reale Commendatizia, ed il successivo Regio *Exequatur* non possano i Vescovi o altri Prelati ordina-

rii de' luoghi, ed i di loro Vicarii, Cancelliere, o altri Uffiziali, pretendere di doverne essere per necessità esecutori per il possesso, ma sia in arbitrio dei Provvisti l'eleggersene l'esecutore, e'l notaio, ma se il Provvisto elegga l'ordinario Uffiziale, e il suo Cancelliere, o veramente se fossero indirizzate all'Ordinario, ovvero al suo vicario; nell'uno e nell'altro caso, purchè si tratti di mera esecuzione, non debbasi esigere o ricevere emolumento alcuno, ma sia lecito al solo Cancelliere per la copia e registro di dette bolle ed altri atti, ricevere la mercede proporzionata alla fatica per la scrittura, ma non mai eccedente la suddetta somma di carlini tredici.

10. Che accadendo contraddizione, di modo che convenga far processo in cause mere Ecclesiastiche spirituali, la mercede del Cancelliere si possa estendere a carlini ventisei, e non più, senza che il Vescovo o suo Vicario o altro Uffiziale, possa esigere e ricevere emolumento alcuno, mentre in tali cause, a norma dei Sacri Canoni, non ostante qualsivoglia abusiva consuetudine in contrario, il giudizio si debba interporre *gratis*, senza che circa l'esistenza di Padronati, o per la controversia di pertinenza tra Compadroni, o presentati nei benefizii di qualità ecclesiastica, possano le Curie medesime ingerirvisi.

11. Che rispetto ai matrimonii, così per l'esecu-

zione delle Dispense ottenute, precedente sempre il Real permesso a poter ricorrere, e il successivo Regio *Exequatur,* come per la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia canonico impedimento, ed anche per la dispensa alle pubblicazioni, o per la licenza di potersi contrarre in casa, o in altro luogo, o in tempo insolito e proibito, o che si possa contrarre in presenza di altri che del Parroco, precedente però sempre il consenso di costui, e per ogni altro atto, che occorresse fare; l' Ordinario e il suo Vicario, ed ogni altro Uffiziale, o ministro familiare, non possa, anche col pretesto di mancia, e di volontario donativo esigere e ricevere emolumento alcuno, nè in danaro, nè in altre cose, ma solamente il Cancelliere possa esigere la mercede proporzionata alla fatica della scrittura, cioè nell' esecuzione delle Dispense grana trentanove in moneta di regno corrispondente a quella di tre Giulii, permessa nella tassa Innocenziana; e per li testimonii sopra lo stato libero, e che non vi sia impedimento un Giulio per testimone, purchè in tutto, e per tutti gli atti occorrenti non si ecceda la somma di carlini tredici. Beninteso che, ove siavi contesa rispetto ai matrimonii ed agli sponsali, ne appartenga alle Curie Ecclesiastiche, giusta la Polizia del Regno, la sola cognizione circa la validità; spettando quella dell' esistenza ai soli Giudici, e Magistrati laici competenti: e per si fatte

ed altre cause contenziose, di cui non è permesso alle Curie il procedimento, si osservi il solito di ciascuna Curia Ecclesiastica, circa l'esazione dei dritti competenti al Cancelliere, purchè sia minore, e non eccedente la pandetta della G. C. della Vicaria, e ciò sino a che altrimenti non si procederà senza tenersi conto di altra esazione, ancorchè se ne faccia menzione nella tassa Innocenziana, che sia dipendente o da cause proscritte nel Regno, o nelle quali debbasi a dirittura dipendere da S. M. e che sono riserbate ai Giudici e Magistrati laici competenti.

12. Sovranamente dichiarandosi che in quei luoghi ove il solito sia minore della presente tariffa, debba assolutamente osservarsi il solito.

Articolo 2.°

Il quale riguarda i Parrochi, così pe' dritti di stola bianca, che per quelli di stola nera.

1. Che nel concedersi fedi di Battesimo, di morte, o di altro che occorra, non si esigga più di un carlino, ed un altro carlino allorchè occorra la ricerca nei libri antichi che oltrepassano il decennio.

2. Che per le pubblicazioni, tanto per li matrimonii, quanto per gli Ordinandi niente si pretenda, ma un solo carlino quando si richiegga la fede

di tali pubblicazioni, senza che col pretesto di volersi fare tre fedi separate delle pubblicazioni medesime, esiger si possano tre diritti.

3. Che per le fedi o altro atto che possa occorrere nei matrimonii non si debba eccedere i carlini sei, senza niente pretendersi di più per la benedizione agli sposi; e specialmente per la prestazione di fazzoletto o altro genere di robbe, o per il suono di campane, nè si possa pretendere di volersi in tale occorrenza forzosamente celebrare la Messa.

4. Che nell' amministrazione dei Sacramenti, niente esiger si possa, come nulla da' poveri in tutte le occorrenze, avendo in considerazione il loro miserabile stato, da starsi a fede delle rispettive università, che dovrà sempre darsi gratuitamente, e nulla possa chiedersi, o esigersi per la benedizione delle donne infantate, allorchè dopo il parto per la prima volta entrano in Chiesa.

5. Che non possa impedirsi ai moribondi e ai di loro congiunti ed eredi di eleggersi la sepoltura ove vogliano; nè col pretesto di tale elezione possa pretendersi menoma cosa di più.

6. Che compete a ciascuno la facoltà di chiamare al funebre accompagnamento quali e quanti preti secolari o regolari, che voglia, confraternite separatamente o unitamente, con quell' equa e moderata mercede che si potrà convenire, senza che

col pretesto della cura abituale pretender possano un forzoso intervento dovendo i corpi ecclesiastici, laddove siano invitati per obbligo inerente al loro ministero forzosamente intervenire con la suddetta equa e moderata mercede.

7. Che al solo Parroco , o a Colui, che sostiene la cura attuale competa l' intervento per la benedizione al Cadavere, purchè nel tempo dai Rituali prescritto non ricusi d' intervenirvi.

8. Che nei rispettivi luoghi debba ogni Parroco per il suddetto accesso, o benedizione del cadavere continuare ad esigere grana venticinque, ma ove sia altro il solito, debba un tal solito osservarsi, rispetto al solito dritto dei mortorii, sino a che S. M. altrimenti non risolverà.

9. Che dal Parroco non si possono impedire o ritardare la sepoltura o l' esequie dei defunti, così cittadini, come forestieri pel pagamento dei suoi dritti, ma rimangono a lui le ragioni da sperimentarle su dei beni dei defunti presso il Giudice laico competente, senza darsi molestia personale ai figli, mogli e congiunti, e nulla esiger si possa dai poveri da starsene a fede, come sopra, delle rispettive università.

10. Che nello sperimento di tali ragioni, ordinandosi dal Giudice laico, il sequestro, debbono sempre escludersi gli strumenti rurali ed altri mobili

necessarii alla vita, con intendersi abolito ogni altro eccesso.

11. Finalmente i tassati dritti non avranno luogo a prò di quei Parrochi, ai quali per particolari circostanze ne sia stato finora, o ne sarà per Sovrana disposizione, vietata l' esazione.



TRES MEDITATIONES DE SACERDOTIO

PRIMA MEDITATIO

DE SACERDOTII DIGNITATE.

Primum Punctum — Christus instituit Sacerdotes.

SUMMARIUM. — *In hac Sacerdotii institutione dignitas eius petitur ex vocatione sublimi, ex potestate docendi et baptizandi, tum remittendi retinendique peccata, ac praesertim sacrificandi corpus et sanguinem Christi, et ex ipsius divina persona quam sustinent Sacerdotes in omnibus his functionibus.*

Vos estis sal terrae (*Matth.* V. 13): vos estis lux mundi (*Ibid.* 14), fratres mei (*Luc.* VIII. 21), amici mei (*Ioann.* XV. 14) piscatores hominum (*Matth.* XIV. 19), genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum (I. *Petr.* II. 9). Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI. 6). Sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos (*Ioan.* XV. 9): vos dixi amicos; quia omnia quaecumque audivi a

patre meo, nota feci vobis (*Ibid.* 15). Vobis datum est nosse mysterium regni Dei (*Luc.* VIII. 10). Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat (*Ioan.* XV. 16). Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron (*Hebr.* V. 4).

Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra (*Matth.* XXVIII. 18). Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (*Ibid.* 19). Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae (*Marc.* XVI. 15). Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (*Ibid.* 16).

Sicut misit me Pater, et ego mitto vos (*Ioan.* XX. 21). Accipite Spiritum Sanctum (*Ibid.* 22). Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt (*Ibid.* 23).

Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Id.* VI. 56). Venite comedite panem meum (*Prov.* IX. 5). Accipite, et manducate: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem (I *Cor.* XI. 24). Bibite vinum quod miscui vobis (*Prov.* IX. 5): bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI. 28). Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem (I *Cor.*

XI. 25); quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*Ibid.* 26).

Luceat lux vestra coram hominibus (*Matth.* V. 16). Estote loco meo (I. *Mach.*XIV. 3). Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Ps.* LXXXI. 6). Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis (*Matth.* X. 20). Dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei (*Luc.* X. 9). Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos (II. *Cor.* V. 20). Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum qui me misit (*Ibid.* X. 40). Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me (*Luc.* X. 6).

II. Punctum. — Sacerdos expendit humiliter tantam in se dignitatem.

Summarium. — ***Sacerdos invitat alios Sacerdotes et populum ad benedicendum Deo pro tanto beneficio, quo prae Angelis afficitur homo: unde seipsum et suspicit et humiliat.***

Benedicite Sacerdotes Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula (*Dan.* III. 84). Qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo (*Apoc.* I. 5): et fecit nos regnum et Sacerdo-

tes Deo et Patri suo: ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum (*Ibid.* 6): Amen. Benedicite servi Domini Domino (*Dan.* III. 85): laudate, et superexaltate eum in saecula, qui dedit potestatem talem hominibus (*Matth.* IX. 8): cui enim dixit aliquando Angelorum (*Hebr.* I. 5): Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis (*Matth.* XVI. 19)? Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui capient haereditatem salutis (*Hebr.* I. 14)? Habemus altare, de quo edere non habent potestatem (*Ibid.* XIII. 10).

Vide ministerium quod accepisti a Domino (Col. IV. 17).

— Tu es Sacerdos (*Psal.* CIX. 4).
— Sacerdos Dei Altissimi (*Gen.* XIV. 18).
— Ex genere Christorum Sacerdotum (II. *Mach.* I. 10).
— Angelus Domini exercituum (*Mal.* II. 7).
— Homo Dei (I. *Tim.* VI. 11).
— Protector salvationum Christi (*Ps.* XXVII. 8).
— Assimilatus autem filio Dei (*Heb.* VII. 3), et eius quae in futuro revelanda est, gloriae communicator (I. *Pet.* V. 1).
— Sic pulchra ante ipsum non fuere talia usque ad originem (*Eccli.* XLV. 15).

Vide ministerium quod accepisti a Domino.

A, a, a, Domine Deus ecce nescio loqui, quia puer ego sum (*Ier.* I. 6), vir pollutus labiis (*Isai.* VI. 5) nihil quidem habens dignum sacerdotio (II. *Mach.* IV. 25). Quis ego sum, aut quae vita mea (I. *Reg.* XVIII. 18).

Vide ministerium quod accepisti a Domino.

Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat (*Ps.* CXII. 5)? et humilia respicit in coelo et in terra (*Ibid.* 6)? Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem (*Ibid.* 7), ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (*Ibid.* 8).

Factum est illi testamentum aeternum, fungi sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum in nomine eius (*Eccli.* XLV. 19). Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo (*Ibid.* 20): et dedit illi in praeceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorum, docere Iacob testimonia, et in lege sua lucem dare Israel (*Ibid.* 21).

Quis ego sum, Domine Deus, ut praestares mihi talia (I. *Par.* XVII. 16)?

Quid enim sum, ut faciam rem istam magnam (*IV. Reg.* VIII. 13)?

II. MEDITATIO

DE DISCIPLINAE SACERDOTALIS LEGIBUS.

Primum Punctum. — Christus docet Sacerdotes — Prima lex, fuga mundi.

SUMMARIUM. — *Fuga saeculi complectitur contemptum voluptatum, honorum et divitiarum.*

Audite hoc Sacerdotes (*Osee* V. 1). Ego non sum de mundo (*Ioan*. XVII. 14). De mundo non estis: sed ego elegi vos de mundo (*Idem* XV.19) : propter quod exite de medio eorum, et separamini (II *Cor.* VI. 17) ; recedite, recedite, exite inde : pollutum nolite tangere: mundamini qui fertis vasa Domini (*Isai.* LII. 11) : nolite contaminare animas vestras, ne immundi sitis (*Lev*. XI. 43) ; ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote : quoniam ego sanctus sum (*Ibid.* 44) ; ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore (I *Thes*. IV. 4). O quam pulchra est casta generatio cum claritate (*Sap*. IV. 1) ; in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum praemium vincens (*Ibid.* 2).

Cavete a scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro (*Marc*. XII. 38), et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in

coenis (*Ibid.* 39): quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis: et principes eorum potestatem habent ipsorum (*Ibid.* X. 42); non ita autem est in vobis: sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister (*Ibid.* 43): et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus (*Ibid.* 44); nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret (*Ibid.* 45).

Videte et cavete ab omni avaritia (*Luc.* XII. 16), nolite facere domum patris mei, domum negotiationis (*Ioan.* II. 16); gratis accepistis, gratis date (*Matth.* X. 8); ne quis profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua (*Heb.* XII. 16). Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie (1. *Petr.* V. 2): neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo (*Ibid.* 3); et cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriae coronam (*Ibid.* 4).

II. Punctum. — Secunda lex, unio cum Christo.

SUMMARIUM. — *Ex unione cum Christo oriuntur: fiducia in Deum, diffidentia sui, spes multi fructus, humilitas et amor Dei, vis orationis.*

Viri sancti eritis mihi (*Exod.* XII. 31): oleum quippe sanctae unctionis est super vos (*Lev.* X. 7); eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus: et separavi vos a populis, ut essetis mihi (*Ibid.* XX. 26). Custodite sacerdotium vestrum (*Num.* XVIII. 7).

Ego sum vitis vera: et Pater meus agricola est (*Ioan.* XV. 1); omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum; et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat (*Ibid.* 2). Manete in me, et ego in vobis; sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis (*Ibid.* 4). Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere (*Ibid.* 5). Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet (*Ibid.* 6).

In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli (*Ibid.* 8). Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea (*Ibid.* 9). Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego

Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione (*Ibid.* 10). Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis (*Ibid.* 16).

Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est (*Matth.* XVIII. 19); ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Ibid.* 20). Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, (*Ioan.* XVI. 26): ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi (*Ibid.* 27).

III. Punctum. — Tertia lex, vita apostolica.

Summarium. — *Ad vitam apostolicam, haec sunt in primis necessaria, zelus animarum, scientia audax et patiens libertas spiritus, mortificatio.*

Ignem veni mittere in terram ; et quid volo nisi ut accendatur (*Luc.* XII. 49) ? Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae (*Marc.* XVI. 15). Ite igitur et succendite cum igni (II *Reg.* XIV. 30). Quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias (*Matth.* XXII. 9) ; ut impleatur domus mea (*Luc.* XIV. 23). Quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite (*Iudith* VIII.

21), ne et illi moriantur et vos pereatis (*Num.* XVIII. 3). Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis (*Matth.* XVIII. 14). Vosmetipsos in dilectione Dei servate (*Iudae* 21); illos vero salvate de igne rapientes (*Ibid.* 23).

Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadent (*Luc.* VI. 39; *Matth.* V. 14). vos estis lux mundi (*Luc.* X. 10); habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum (*Lev.* X. 10): doceatisque filios Israel omnia legitima mea (*Ibid.* 11): parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe (I. *Petr.* III. 15): sed cum modestia (*Ibid.* 16). Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est (*Malac.* II. 7).

Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae (*Matth.* X. 16). Cavete autem ab hominibus (*Ibid.* 17): eritis odio omnibus propter nomen meum (*Ibid.* 22). Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit (*Ioan.* XV. 18). Ne ergo timueritis eos (*Matth.* X. 26). Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, praedicate super tecta (*Ibid.* 27): et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere (*Ibid.* 28).

Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego illic et minister meus erit (*Ioan*. XII. 26). Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus (*Matth*. X. 38). Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus (*Luc*. XIV. 26). Et qui non baiulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus (*Ibid*. 27). Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert (*Ioan*. XII. 24. et 25).



III. MEDITATIO

DE SACERDOTII PROFANATIONE.

Primum Punctum. — Christus increpat praevaricatores sacerdotes.

SUMMARIUM. — *Christus increpat Sacerdotem salutis aliorum cupidum et suae immemorem, sacerdotem amicum novatorum et haereticorum, sacerdotem male captum in dirigendis mulieribus, sacerdotem vitiosum et hypocritam, sacerdotem modicae virtutis, sacerdotem tepidum et erroneae conscientiae, sacerdotem legis divinae reum et praeconem, sacerdotes omnes simul praevaricatores.*

Audivi post me vocem magnam, tamquam tubae (*Apoc.* I. 10) *dicentis: Quod vides, scribe* (*Ibid.* 11).

Angeo Ecclesiae... scribe (*Ibid.* II. 1). Scio opera tua et laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos (*Ibid.* 2): et non defecisti (*Ibid.* 3): sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti (*Ibid.* 4): memor esto itaque unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac: sin autem venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris (*Apoc.* II. 5).

Et Angelo Ecclesiae (*Ibid.* 12)...... Tenes nomen

meum et non negasti fidem meam (*Ibid.* 13). Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam (*Ibid.* 14), doctrinam nicolaitarum (*Ibid.* 15). Poenitentiam age : si quo minus veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei (*Ibid.* 16).

Et Angelo Ecclesiae (*Ibid.* 18).... Novi opera tua, et fidem et charitatem tuam (*Ibid.* 19). Sed habeo adversum te pauca : quia permittis mulierem Iezabel, quae se dicit propheten, docere et seducere servos meos (*Ibid.* 20).

Et Angelo Ecclesiae.... Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas et mortuus es (*Ibid.* III. 1). Esto vigilans, et confirma caetera quae moritura erant : non enim invenio opera tua plena coram Deo meo (*Ibid.* 2). In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et poenitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nesciens qua hora veniam ad te (*Ibid.* 3).

Et Angelo Ecclesiae (*Ibid.* 7)...... Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum (*Ibid.* 8), ego servabo te ab hora tentationis (*Ibid.* 10). Ecce venio cito : tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam (*Ibid.* 11).

Et Angelo Ecclesiae (*Ibid.* 14).... Scio opera tua : quia neque frigidus es, neque calidus : utinam frigidus esses aut calidus (*Ibid.* 15.) : sed quia tepi-

dus es, et nec frigidus, nec calidus incipiam te evomere ex ore meo (*Ibid.* 16). Quia dicis quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo: et nescis quia tu es miser, et miserabilis et pauper, et caecus et nudus (*Ibid.* 17). Suadeo te emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuae: et collyrio inunge oculos tuos ut videas(*Ibid.* 18). Ego quos amo, arguo et castigo. Æmulare ergo et poenitentiam age (*Ibid.* 19).

Quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?(*Ps.*XLIX.16).Tu vero odisti disciplinam: et proiecisti sermones meos retrorsum (*Ibid.* 17). Si videbas furem, currebas cum eo,et cum adulteris portionem tuam ponebas (*Ibid.* 18). Os tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos (*Ibid.* 19). Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus filium matris tuae ponebas scandalum (*Ibid.* 20). Haec fecisti, et tacui. Existimasti inique, quod ero tui similis: arguam te, et statuam contra faciem tuam (*Ibid.*21). Intelligite haec, qui obliviscimini Deum. ne quando rapiat, et non sit qui eripiat (*Ibid.* 22). Sacrificium laudis honorificabit me: et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei (*Ibid.* 23).

Si nolueritis audire, et si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo, mittam in vos egestatem,et maledicam benedictionibus vestris,et ma-

ledicam illis: quoniam non posuistis super cor (*Mal.* II. 2). Ecce ego proiiciam vobis brachium et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum (*Ibid.* 3). Et scietis quia misi ad vos mandatum istud ut esset pactum meum cum Levi (*Ibid.* 4). Pactum meum fuit cum eo vitae et pacis: et dedi ei timorem, et timuit me, et a facie nominis mei pavebat (*Ibid.* 5). Lex veritatis fuit in ore eius, et iniquitas non est inventa in labiis eius: in pace et in aequitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate (*Ibid.* 6). Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est (*Ibid.* 7). Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege: irritum fecistis pactum (*Ibid.* 8). Propter quod et ego dedi vos contemptibiles, et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas (*Ibid.* 9).



II. Punctum. — **Praevaricator Sacerdos miserum vitae suae statum expendit.**

Summarium. — ***Sacerdos seipsum in multis reum agnoscit et accusat coram Deo. Obstupescit prae pudore comparans praesentem statum cum statu praeterito. Cogitat de conversione; sed ab omni parte sentit et timet eius difficultatem maximam; se tamen excitat ad fiduciam in divinam misericordiam.***

Ego vir videns paupertatem meam (*Thr.* III. 1), nihil quidem habens dignum sacerdotio (II. *Mach.* IV. 25), homo apostata, vir inutilis (*Prov.* VI. 12), diligens hoc saeculum (II. *Tim.* IV. 9), reversus ad vomitum (II. *Pet.* II. 22), reus corporis et sanguinis Domini (I. *Cor.* XI. 17). Pene fui in omni malo in medio Ecclesiae (*Prov.* V. 14).

Inveterate dierum malorum (*Dan.* XIII. 52), cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto (*Act.* V. 3)? violare sancta, et polluere tabernaculum (*Iudith.* IX. 11)? Semen Chanaan, et non Iuda, species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum (*Dan.* XIII. 56). *Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc* (II. *Reg.* XII. 14).

Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum: et praevaluit in vanitate sua (*Ps.* LI. 9): multiplicavit altaria ad peccandum: factae sunt ei arae in

delictum (*Osee* VIII. 11). Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri (*Act*. VIII. 20): *Blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc.*

Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus (*Thr*. IV. 1)? Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea (*Ibid*. 2)? Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora (*Ibid*. 5). Candidiores Nazaraei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores (*Ibid*. 7). Denigrata est super carbones facies eorum (*Ibid*. 8).

Haec est sors tua (*Isai*. LVII. 6).

Quomodo cecidisti de coelo lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram (*Id*. XIV. 12), qui dicebas in corde tuo: In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti (*Ibid*. 13), similis ero Altissimo (*Ibid*. 14) dicebas. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci (*Ibid*. 15): qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: numquid iste est vir (*Ibid*. 16)? Et tu vulneratus es, sicut et nos, nostri similis effectus es. (*Ibid*. 10). Sicut populus, sic sacerdos (*Ibid*. XXIV. 2).

Quomodo cecidisti ....? Tu signaculum multitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore

(*Ezech.* XXVIII. 12), in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum (*Ibid.* 13); tu Cherub extentus, et protegens (*Ibid.* 14), perfectus in viis tuis a die conditionis tuae, donec inventa est iniquitas in te (*Ibid.* 15) : perdidisti sapientiam tuam in decore tuo (*Ibid.* 17) : in multitudine iniquitatum tuarum polluisti sanctificationem tuam (*Ibid.* 18) ; dedisti maculam in gloria tua (*Eccli.* XLVII. 22).

Quomodo cecidisti ....? Ecce docuisti multos, et manus lassas roborasti (*Iob.* IV. 3) : vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti (*Ibid.* 4) : Nunc autem ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum tuarum (*Ibid.* 6.) ?

Destitutae sunt tantae divitiae (*Apoc.* XVIII. 17).

O plene omni dolo et omni fallacia: fili diaboli: inimice omnis iustitiae. Usquequo non desinis pervertere vias Domini rectas (*Act.* XIII. 10)? Numquid qui cadit non resurget ? et qui aversus est, non revertetur ? (*Ier.* VIII. 4).

Vigilavit iugum iniquitatum mearum : infirmata est virtus mea : dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere (*Thr.* I. 14). Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam (*Ibid.* 16). Repulsa est a pace anima mea

(*Ibid*. III. 17) : abominabilis ei fit in vita sua panis, cibus ante desiderabilis (*Iob*. XXXIII. 20).

Dixi : Periit finis meus et spes mea a Domino (*Thr*. III. 18). Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste , et participes facti sunt Spiritus sancti (*Hebr*. VI. 4); gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum , virtutesque saeculi venturi (*Ibid*. 5), et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam , rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei , et ostentui habentes (*Ibid*. 6).

Voluntarie , enim peccantibus , post acceptam notitiam veritatis, *iam non relinquitur pro peccatis hostia* (*Heb*. X. 26). Quomodo potui comedere eam (*Lev*. X. 19) ? Peccavi tradens sanguinem iustum (*Matth*. XXVII. 4), reus corporis et sanguinis Domini (II. *Cor*. XI. 27) : non semel , neque bis (IV. *Reg*. VI. 10) : non dico usque septies, sed usque septuagies septies (*Matth*. XVIII. 22). *Iam non relinquitur pro peccatis hostia*.

Spera in Deo tuo semper (*Osee*. XII. 6). Quae impossibilia sunt apud homines , possibilia sunt apud Deum (*Luc*. XVIII. 27).

Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit coelos , Iesum filium Dei , teneamus confessionem (*Heb*. IV. 14) ; non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris:

tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato (*Ibid.* 13). Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*Ibid.* 16).



CONCLUSIO MEDITATIONIS

Poenitentis Sacerdotis oratio ad Iesum Sacerdotem magnum.

Audi, Iesu sacerdos magne (*Zacch.* III. 8), princeps pastorum (I. *Pet.* V. 4), sacerdos in aeternum (*Ps.* CIX. 4) cuius factus sum minister secundum donum gratiae Dei, quae data est mihi secundum operationem virtutis eius (*Eph.* III. 7).

Audi, Iesu sacerdos magne, semper vivens ad interpellandum pro nobis (*Heb.* VII. 25). *Audi:* Domine, miserere mei (*Ps.* LXXXV. 16).

Sana animam meam, quia peccavi tibi (*Ps.* XL. 5). Peccavi tradens sanguinem iustum (*Matth.* XXVII. 4), reus corporis et sanguinis Domini (II. *Cor.* XI. 27).

Sana animam meam, Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo et sanabitur (*Matth.* VIII. 8).

Tantum dic verbo. Loquere, Domine, quia audit servus tuus (I. *Reg.* III. 9). Dic animae meae: Salus tua ego sum (*Ps.* XXXIV. 3); *et sanabitur.*

Domine non sum dignus offerre sacrificium Deo, incensum et bonum odorem, in memoriam placare pro populo (*Eccli.* XLV. 20). *Sed tantum dic verbo:* Fili, remittuntur tibi peccata tua (*Matth.*IX.2).

Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis (*Luc.* XV. 19). Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam (*Ps.* XXV. 9): custodi animam meam, quoniam sanctus sum (*Ps.* LXXXV. 2).

Iudica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me (*Ps.* XLII. 1); quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus (*Ibid.* 2). *Emitte lucem tuam et veritatem tuam:* ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua (*Ibid.* 3) *Emitte,* et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui laetificat iuventutem meam (*Ibid.*4).

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus (*Ibid.* 5).

Domine quando respicies? restitue animam meam (*Ps.* XXXIV. 17). Confitebor tibi in Ecclesia ma-

gna in populo gravi laudabo te (*Ibid.* 18) ; narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiae laudabo te (*Ps.* XXI. 23). Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur (*Ps.* L. 15). Quamdiu quidem ego sum, ministerium meum honorificabo (*Rom.* XI. 13). Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus (II. *Cor.* XII. 15).

Fiat, fiat (*Ps.* LXXXVIII. 53).

Fidelis sermo et omni acceptione dignus ; quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere , quorum primus ego sum (I. *Tim.* I. 15).

In Domino oramus omnes et singulos Sacerdotes ut devote recitare velint suprascriptas meditationes e variis Sacrae Scripturae locis desumptas, quibus fides excitatur, et cor nutritur sanctis affectibus.



Iam ut ab omnibus Sanctum et terribile Nomen Dei, Sanctissimae Virginis Mariae Immaculatae, Sanctorumque quam saepe benedicatur et laudetur; quam ut piis Votis Augusti Regis Nostri Ferdinandi II (quem Deus semper sospitet) satisfaciamus, per Realem Ministerium negotiorum Ecclesiasticorum Nobis patefactis, Litteris datis die 9 Novembris 1858, Parochi et Sacerdotes postquam Missas de Aurora et ante meridiem celebraverint, alta et intelligibili voce infrascriptas laudationes recitent: similiter post Missam cum cantu celebratam diebus festis, et post datam Benedictionem cum SS. Eucharistia in adoratione serotina.

LODE

AL NOME SANTO DI DIO

Dio sia benedetto
Benedetto il suo santo Nome
Benedetto Gesù Cristo vero Dio e vero uomo
Benedetto il Nome di Gesù
Benedetto Gesù nel Santissimo Sacramento dell'Altare
Benedetta la Gran Madre di Dio Maria Santissima
Benedetta la sua Santa ed Immacolata Concezione
Benedetto il Nome di Maria Vergine e Madre
Benedetto Iddio nei suoi Angeli, e nei suoi Santi. Così sia.

INDEX

Littera Encyclica *de intimatione et convocatione Synodi* . . . . pag. 3
Oratio *Prolusoria* . . . . » 6
Decretum *de inchoanda Synodo*. . . . . » 19
Cap. I. *De Fidei professione*. . . . . . . » 22
II. *De Officialibus seu Ministris Synodi*. » 26
III. *De Examinatoribus Synodalibus*. . » 28
IV. *De Iudicibus Synodalibus*. . . . » 31
V. *De Vicariis Foraneis* . . . . . . » 32
VI. *De Sacramentis in genere*. . . . » 34
VII. *De Sacramento Baptismatis* . . . » 35
VIII. *De Sacramento Confirmationis* . . » 37
IX. *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*. 39
X. *De Sacrificio Missae* . . . . . . » 40
XI. *De adimplendis Oneribus Missarum*. » 42
XII. *De Sacramento Poenitentiae* . . . » 43
XIII. *De Casibus Reservatis* . . . . . » 45
XIV. *De Sacramento Extremae Unctionis*. » 48
XV. *De Sacramento Ordinis, et de requisitis Ordinandorum* . . . . . . » 50
XVI. *De Sacramento Matrimonii* . . . » 53
XVII. *De Vita et Moribus Clericorum* . . » 54
XVIII. *De Conferentia Casuum Moralium*. » 57
XIX. *De Capitulo Cathedralis, Dignitatibus, Canonicis et Capellanis Choralibus seu Mansionariis* . . . . » 58

XX. *De Punctatoribus* . . . . » 63
XXI. *De Officio Parochorum, eorumque quibus cura animarum commissa est quocumque nomine vocentur* . . . » 64
XXII. *De Funeribus et Sepulturis* . . . » 68
XXIII. *De Processionibus* . . . . . . » 71
XXIV. *De Sanctificatione dierum festorum.* » 72
XXV. *De Clericis inservientibus Ecclesiis.* » 73
XXVI. *De Bonis Ecclesiarum, piorumque locorum.* . . . . » 74
CONCLUSIO *seu Decretum de dimissione Synodi* » 76
Dioecesanae Neocastren Synodi de Solemni Acceptione Instrumentum . . . . . » 79
APPENDICE . . . . » 81
Art. 1. *Dichiarazione della tassa Innocenziana riguardo agli Ordinarii, ed alle Curie Ecclesiastiche* . . . . » idem
Art. 2. *Dichiarazione della stessa riguardo ai Parrochi* . . . . » 87
TRES MEDITATIONES DE SACERDOTIO . . . . » 91
Prima Meditatio. — *De Sacerdotii dignitate* . » idem
II. Meditatio. — *De disciplinae Sacerdotalis legibus* . . . . . . » 96
III. Meditatio. — *De Sacerdotii profanatione*. 102
Conclusio Meditationis . . . . » 110
LODE — *al nome santo di Dio*. . . . . . . » 113

FINIS.





